IOHANNIS PARKHVRSTI

Ludicra siue Epigrammata Iuuenilia.

1. Corinth. 13.

Cum essem puer, vt puer loquebar, vt puer sentiebam, vt puer cogitabam: at vbi factus sum vir, abolevi puerilia.

Eccles. 3.

Est tempus lachrymandi, & tempus ridendi, tempus lugendi, & tempus saltandi, tempus plantandi, & tempus euellendi quod plantatum existit, tempus demoliendi & tempus ædificandi, tempus tacendi, & tempus loquendi.

Math. 11.

Tibia cecinimus vobis, & non saltastis: lugubria cecinimus vobis, & non planxistis.

LONDINI

Apud Iohannem Dayum Typographum. An. 1573.

¶ *Cum Gratia & Priuilegio Regiæ Maiestatis.*

CLARISSIMI
viri D. Thomæ Wilsoni
Carmen.

QVẽ semel atq; iterũ legi Parkhurste libellũ,
Haurire hunc vellem sensibus ipse meis.
Gaudia nẽpe placẽt, iuuat omnes pellere curas,
Saturnum cœlo Iuppiter ipse vetat.
Exulet austerus mundo: consortia Timon
Vitet, & ad stigias præcipitetur aquas.
Flere, parum prodest: ridẽdo cor exhilaratur:
Quid? quod et in Dño gaudia Paulus amat.
Tu bene ridendo, mordes bene tempora nostra:
Sic decet, & par est pungere: nempe malos.
Quos neq; supplicium, neq; vis, hos scõmata fle-
Hos pudor ad rectũ sedulitate mouet. (ctũt,
Argue, fige malos dictis: latratibus imple
Omnia: Nã Satyros præmia magna manẽt.

D. Alexander Nowellus.

LVdicra iudicio Parkhurste, ô sunt tua nostro
Ludicra grata nimis, Ludicra amara nimis.

Ludicra grata nimis tua ſunt, dum ludicra ludũt,
Ludicra cum mordent, Ludicra amara nimis.
Lectori inſonti, tantùm tua Ludicra ludunt,
Ludicra grata nimis, Ludicra amæna nimis.
Lectori at pallor, mens & malè conſcia ſi ſit,
Ludicra amara nimis, Ludicra ſæua nimis.
Sic ſunt, & non ſunt, tua Ludicra grata nimis, ſic
Et ſunt, & non ſunt Ludicra amara nimis.

D. Bartholomæi Traheronis Carmen.

EN peperit fauſto Parkhurſtus ſydere nugas:
Saluæ ſint nugæ Vandoperane tuæ.
Haud paruum certamen erit: nil ſalſius iſtis,
Illis nec quicquam ſalſius eſſe poteſt.
Viuant victrices: ſi non ego ſum leuis Augur,
Parkhurſti nugis viuere fata dabunt.

¶ *In Ludicra D. Parkhurſti, Carmen ludicrum D. Laurentij Humphridi.*

LVde tuos ô Muſa iocos, & Ludicra profer,
Quippe locum retinent Ludicra lecta ſuum.
Ludere quid refugis? nam ſic luſiſſe decorum eſt,
Et Lyricis luſit dulcis Apollo modis.
Eſt, & erat ſanctum ioculari ludere verſu,
Ac pia feſtiuis claudere ſenſa metris.
Dices lugendum? Dico quandoq; canendum:
Sed puerile putas? immo virile puto.
Ludere ſic ars eſt, ſed ludere virgo vereris?
Pallas habet veneres, virgo venuſta ſuas.

Sed

Sed toruas metuis frontes, tetroſq; Catones?
Ne reſecet luſus tetrica ruga tuos.
Bella placent bellis, caperatos neglige vultus,
Quin & acetoſos ſperne Thalia ſophos.
Sed dum ludo inquis, multos deludo? ſed atris,
Ac nigris caudis quid vetat eſſe nigram?
Sed frendent quidam: nam ſalſè mordeo quoſdam:
At mordere malos quis putet eſſe malum?
Libera nec nimis es, quam vincla poëtica ſtringunt,
Nec, metricis pedibus vincta, ſoluta nimis.
Laxa nec es nimiùm, multis tua ludicra parcunt,
Multùm virgineus te trahit inde pudor.
Ergo lude tuos luſus, ne ludere ceſſes,
In lætas veniant ludicra læta manus.

Einſdem aliud.

DVlcia qui ſcribit, magnus, qui ſeria, maior,
Maximus ille tamen, quiſquis vtrumq; facit.
Hoc Epigramma facit, dum lætis triſtia miſcet,
Dum lepidis condit ſeria multa iocis.
Virtutem diſces? virtutem Epigramma docebit,
Excolet & pectus relligione tuum.
Læta cupis lector? lætis ſunt omnia plena,
Læta tamen neruos, ludicra pondus habent.
Ergo ſeu captare ſales, ſeu commoda mauis,
Hæc pia ſcripta legas, mellea ſcripta legas.

D. Gulielmus Colus.

TEmpora plena dolis ſunt hæc, ſunt plena rapinis
Tempora, non fandis ſunt & adulteriis.
Nunc frater fratrem, nunc prodit amicus amicum,
Nunc vbi non regnant faſtus & ebrietas?

Ducit in errores raſorum turba popellum,
Ducit & in thalamos mollia ſcorta ſuos.
Hæc bene perſtringis, doctè quoq;, pergito: ſunt hæc,
Carmine quæ carpas, digna poëta tuo.

¶ *Ricardi Bettæi Hexaſticon.*

SI tua Parkhurſtus tibi lector amice videtur,
Membra nimis rigida tangere cruda manu:
Nõ tamẽ hinc meus eſt Parkhurſtus crimine dignus,
Quippe quia iſtud opus laudat, amatq; deus.
Non homines, hominum ſed crimina carpit, & odit,
Crimina quæ debet carpere quiſq; pius.

Eiuſdem Diſtichon.

HInc fuge Mome procul, veneris ſandalia carpe,
Non tibi Parkhurſtum carpere Mome licet.

D. Gulielmus Maiſterus.

AVrificis rigidus ſi pendas carmina lance,
Qua olim Parkhurſtus ludicra compoſuit:
Ingenium certè laudes, artemq; neceſſe eſt,
Ludus & ætati tum ſatis aptus erat.
Nunc ſenior verſus tales & ludicra ponit,
Arbitrioq; ſuo tolleret iſta libens.
Wilſonus non fert, (ait) hæc tibi non nocitura,
Vt ſint lecturis, vtiliora ſine.
Diuerſis diuerſa placent, opus omnibus iſtud
Parte aliqua, varium, poſſe placere putes.
Impietas non eſt leuiores ſcribere verſus,
Multum ſæpe lepos vtilitatis habet.
Et tua cum tractet variè diuerſa poëſis,
Triſtior & lepidus quod probet, inueniat.

Vana

Vana superstitio, iactantia vana Thrasonis,
Fœmineum constans in leuitate genus.
Et nostri recto digressi tramite mores
Ridentur: (sapias) vtile carmen erit.
Nobilium laudes etiam versus tuus (inquit)
Multaq; de sacris continet (ecce) libris.
Seria cum referant igitur coniuncta iocosis,
Carmina sunt (inquit) te sene digna satis.
Wilsonus vicit precibus, rationeq; amicum
Parkhurstum: gratum sit tibi lector opus.

¶Gualteri Hawghi Nordouicensis Sapphicum, Carmen.

PLurimis donis memorant bonisq;
Splendidam factam, simul ac beatam
Terq; Pandoram quater & fuisse
Munere diuûm.
Hæc Iouis iussu superos reliquit
Hîc mortales habitauit inter:
Quidlibet secum tulit atq; plena
Pyxide triste.
Illa quot donis fuerat decora,
Tot bonis præsens opus est refertum:
Triste nil hîc est, nihil aut amari, ast
Omnia læta.
Læta Pandora est, opus hoc bonorum,
Læta Pandora est liber hic lepôrum:
Multa festiuis salibus repleta
Seria præbens.

Eiusdem Hawghi, Carmen Elegiacum.

QVale dabat doctus, doctis Epigramma Catullus:
Tale dabit præsens (candide lector) opus.
Talia quid dico? multa meliora dabuntur,
Quàm Veronensis scripserat ipse suis.

Nam licet ingenij, licet artis laude Catullus
Clarus erat: carmen ſæpe pudore caret.
Non minus ingenij, virtutis copia maior,
Non minus hîc artis, plus pietatis ineſt.
Non veneris miles, non eſt præceptor amoris:
Laſciuus non eſt, qui dedit iſta tibi.
Temperat ille ſuos digna grauitate lepôres:
Nec lepidis voluit ſeria abeſſe iocis.
Feſtiuis ſalibus dum ſic ſua ſeria condit:
Vtile cum dulci miſcuit ipſe bonum.

Eiuſdem Carmen Hendecaſyllabum.

DOctum vis Epigramma ſcire quid ſit?
Quod quęris breuiter docebo paucis.
Verbis compoſitum ſit vſitatis,
Vt ſit perſpicuum: deinde ſparſum
Feſtiuis ſalibus, ſit vt facetum.
Virtus præcipua eſt in hoc voluptas.
Sit tunc ingenij vigore acutum:
Dulci ſit grauitas lepôre miſta.
Laudet, vel reprehendat, vt monet res.
Multis quid moror, explicare fruſtrà?
Vno quod licet expedire verbo.
Doctum vis Epigramma ſcire quid ſit?
Euoluas opus hoc: tuiq; compos
Voti factus eris, ferens quod optas.
Hoc nil doctius euenire poſſit:
Hoc nil doctius inuenire poſſis
Vſquam, nil melius magisue comptum.
Euoluas opus hoc: habes quod optas.

Stephanus Limbertus.

PArue quid horreſcis? mediam liber aſpice lucem,
Horrida non formam Nox decet iſta tuam.
Detege, quos longo velaſti tempore, vultus,
Tu facies nullas, oraq; nulla time.

Vrbe

Vrbe quidem meritò pulsi Nasonis amores,
(Moribus vt Iuuenum, res inimica bonis.)
Sauromatas, rigidosq; Getas, Scythicisq; petebant
Cum Domino profugi littora seua maris.
Iure Plato Satyros odit, salsumq; poetam,
Qui Βατράχος, ἰωπᾶις, *qui* νεφελας *q; dedit.*
Nempè quod in Socratem mordacia verba profudit,
Inq; fuit summos lingua soluta viros.
Spretus Alexandro quare Charille fuisti?
Haeccine sunt studijs praemia digna tuis?
Verbera mille quidem, sed verbera nulla tulisti
Qua non commeruit carmen inepte tuum.
Namq; idem docti versus laudauit Homeri,
Inq; suo voluit praelia ferre sinu.
Sed nihil hic meruit, desunt maledicta, libellus,
Non habet hic vllum res odiosa locum.
Si pius es, sacrosq; iuuat potare liquores,
En tibi iuncta suis carmina sacra modis.
Si te mista iocis delectant seria, paruus
Iste libellus habet seria mista iocis.
Ergo procul fugiat petulanti Zoilus ore:
Hoc poterit nullus carpere Liuor opus.
Plaudite Pierides Musa, gaudete Camena,
Accessit vobis non mediocre decus.
Deniq; caste liber laetos tibi sumito vultus:
Te Dominus clarum, tu Dominumq; facis.

¶ *Geruasius Smithus ad Lectorem.*

EST labor quidam requiesse docto.
Nam minus nunquam licet otioso
Esse, quam cum sit minus occupatus
rebus agendis.
Vidit hoc noster nouus autor, & quod
Pergraui fecit studio solutus
Carmen, & doctum dedit & iocosum
& sale plenum.
Scilicet sic est duo consequutus:
Tædium fessus minuit laboris,
Ingeni laudem, noua multa promens,
Percipit amplam.

Otium docti decet esse doctum.
Fecit hoc ludens epigramma, lector,
Vt legas ludens, opus est honestis
lusibus aptum.
Nec tamen non est grauitatis ingens
Pondus in multis, vbi res requirit,
Quod sit & magno studio politum
Ingenioq;.
Ergo sit gratus labor hic Poëtæ,
Et legi dignus videatur etsi,
Grande nil tractet, tamen & pudica
cultaq; musa est.

Ioannes Parkhurſtus candido Lectori.

Vin' ridere? legas ergo mea ludicra lector,
Et planè voti compos abire potes.
Plurima nam cecini ioculari carmina plectro,
Nec deſunt lætis ſeria miſta iocis.
Si quem libertas offendat porrò libelli,
Is libertate hac nunc opus eſſe ſciat.

Ad eundem.

Præfationem perlege,
Legas deinde ludicra.



Cripſimus olim ſucciſiuis temporibus, amice Lector, Epigrammata quædam multorum generum: quæ, quia quaſi ludendo, & aliud agendo fudimus, libuit apellare ludicra. Non autẽ eo conſilio illa ſcripſimus, vt æderentur vnquam, & venirent in manus hominũ (quid enim venirent, præſertim & leuia & inſuauia, &, vt mihi quidem ipſi ſemper viſa ſunt, indignantibus Muſis nata?) ſed vt animum ægritudine interdum, & curis debilitatum, a ſollicitudine ſcribendo abducerem, & huiuſmodi nugarum commentatione reficerem, & vegetiorem, alacrioremq; redderem. Hæc ante aliquot annos, cum adhuc eſſem in Anglia, & ſuperioribus etiam diebus ex quo veni in Germaniam in amicos quoſdam meos cum incidiſſent, illi ſtatim non tam rerum opinor ipſarum ſuauitate, aut carminis elegantia (quæ nulla omninò eſt) ducti, quàm ſtudio & amore mei incenſi, importunè agere cęperunt, vt ea in vulgus darem. Hîc

ego ea leuia, iuuenilia, ridicula esse contendere, mihi soli scripta, non apta his temporibus, indigna hac persona, indigna luce, indigna publico. Illi autem orare, instare, vrgere, & preces, blanditias, conuitia, iurgia cumulare: & Heywodi, Crowleiq; etiam patrio sermone scripta Epigrammata celebrari, & magno in pretio haberi, dicere. Quid quæris? Ego ad extremum vincor: deducor de sententia, polliceor aliquando editurum. Polliceor inquam: sed animo valdè inuito, & reluctante. Neq; enim ita aut me ipsum amo, aut mea, vt ferunt olim se suaq; amasse Episcopum Tricensem Heliodorum. Is enim, vt narrat Nicephorus, cum iuuenis libellos quosdam amatorios euulgasset, idq; posteà Synodus patrum indignè pateretur, & illi optionem ferret, vt, aut episcopatu cederet, aut illos libros igne aboleret, dignitatis potius suæ iacturam facere maluit, quàm librorum. Dignus ille quidem, qui scriberet bona carmina, cum ea tanti æstimarit. Ego verò, si mihi similis daretur optio, multò æquiore conditione transigerem. Præterq̃ enim, quòd agnosco non esse eum genium meorum carminũ, vt in aliquo pretio haberi debeant,

non

non dubito fore aliquos, qui multa in hoc opuſculo reprehendant. Clamabunt enim alii eſſe hîc quædam laſciua, eſſe leuia, non poſſe ferri, ſatis anteà fuiſſe huiuſmodi carminum. His etſi ego vere poſſim reſpõdere, ea vel nõ multa eſſe, vt illorum cauſa totus damnandus ſit liber: vel ita repreſſa & caſtigata, vt quiuis videre poſſit, rationem habitam eſſe verecundiæ: tamen meminiſſe debet æquus æſtimator, hęc non ab homine aut ſene, aut cano, aut Philoſopho Stoico, ſed ab adoleſcente fuiſſe ſcripta: Cui certè ætati aliquid concedi ſolet: & ne commemorem Martiales, Tibullos, Catullos, Propertios, grauiſsimos viros ab hoc ſcribendi genere non abhorruiſſe: Platonem ipſum, & ſummum Philoſophum, & virum integerrimum, interdũ poſita philoſophica ſeueritate, & ſupercilio, ad Stellam ſuam nõnulla ſcripſiſſe liberius. Nam de Thoma Moro ſummo aliquando Anglię Cancellario, viro pro illis temporib' Latiné Grecèq; doctiſsimo, nihil dico. Is enim quàmuis huiuſmodi ludicra, & laſciua, aliquãdo etiam parum pudica carmina quædam ſcripſerit, tamen poſteà inter Diuos Indigetes relatus eſt, et nunc a ſuis diuino honore colitur. Nõ

equidem illi inuideo hanc apotheoſin. Sed quod in illo ferri, & probari potuit, nolim damnari in aliis. Scripſerunt etiam in hoc genere multi noſtrorum temporum Poetæ, eximii illi quidem,& præſtantes viri. Quos propter ſimilia ſcripta ſi quis putet eſſe dãnandos, ego me quoq; animo non iniquo patiar vnà cum illis reprehendi.Alii fortaſſe non ferent Pontificum à me decreta,& meras fraudes & deprauatam religionẽ, & ſacrilegos impioſq; cultus tanta orationis libertate exagitari. Quibus quid aliud reſpõdeam non video,niſi malo nodo malũ quęrendum fuiſſe cuneum, & me iſta ſemper odiſſe a puero.Si cui in quorundam ſacrificorum impuros mores, & flagitioſum fucũ caſtitatis inuehi videor acerbius, ſciat huiuſmodi monſtra indigna fuiſſe, quæ melioribus coloribus pingerentur.Quicquid eſt certè ego nec primus hoc, nec ſine exemplo feci.Nam vt taceam,eos a Paulo,ſtultos,canes,ventres,inimicos & hoſtes crucis Chriſti appellari,Chriſtus ipſe eos cæcos, ſepulchra nitentia, progenies viperarum vocat. Epiſcopos reprehendo quidem interdum, ſed otioſos, inertes, hoſtes Euangelii, ἀποσκόπους,ἀλαζονικόπους, & quiduis potius,quam quod audire

audire volunt, Episcopos. Alii querentur, ista iocosa esse, & leuia: luctus & Lachrymas magis his temporibus conuenire. Scio equidem, & fateor, & oro deum per Christū Iēsum vt velit aliquando vindicare nomen suum, & à nobis hāc calamitatem auertere. Quanquam scire debes, ista à me lætioribus temporibus fuisse scripta: & homines etiā sæpe pios solere tristitiam suorum temporū huiusmodi aliqua amænitate mitigare. Alius fortasse dicet, ista humi repere, & mimiū esse facilia. Id ego non dissimulo, sed de industria sequtum me esse, præ me fero. Malo enim á lectore etiā mediocriter erudito intelligi scripta mea qualiacūq; sunt, quàm negligi. Quarè, amice Lector, has adolescentiæ meæ primitias boni consule, & si opus erit, obtrectatorum calūnias a me depelle.

Vale Tiguri. 1558.

Admonitio ad Lectorem.

QVoniam in aliorum reprehenſione homines nimium ſæpe diligentes, & oculati eſſe ſolẽt, hoc in primis admonitum te volui, candide Lector, me in Iambis & recentiorum & veterum Poetarum ferè omnium exemplo, etſi parcè ac rarò, interdum tamen aliquid mihi permittere voluiſſe. Nam cum ſcirem duo eſſe genera Iambici carminis, alterum purum, alterum quod appellant mixtum, dubitare nou potui, Iambum quàmuis mixtum, tamen Iambum eſſe. Alterum quidem genus magis probari ſcio, & fateor: tamen cur hoc etiam genus ferri & tolerari non debeat, (ſi modicè & in loco adhibeatur) nihil adhuc cauſſæ video. Martialis veritus nõ eſt ità ſcribere.

Et cubitis trudit hinc, & inde conuiuas:

Et inter recentiores poeta clariſſimus Borbonius.

In Monachos.

Monachi Grecè vocantur ſolitarij:
At hodiè tot Monachi in cœnobijs quũ ſimul, &c.

Ad Lautretum.

PVer quum ſis adhuc ætate, quur virum
Et ore & moribus refers?

In Epigrammate cui titulum fecit, Pericula aliena.

Felix ter & quater, quiſquis periculo
Alieno cautus eſt, carpitq; commoda
Ab amici iuxtà & ab inimici incommodis:

Moneri

Moneri quàm monere longè præstat, et &c.
Talia plurima plurimis in locis leges apud eundem. De alijs iam nihil dico. Ego certé flagitium fieri nõ puto, si quis eos velit imitari. Quidam mirati sunt, me voluisse primã syllabam corripere in Chiragra. Sed cur illi non mirantur etiam Martialem, Persium, Horatium? Nam Martialis ita scribit.
Sed nil patrono porrigit, hæc chiragra est. *Persius ità,*
Sed cum lapidosa chiragra.
Produco primam in Capone, producit etiam Martialis. Temporum autem ordinẽ quo ista à me scripta sunt, nec magni feci, nec seruare etiam potui. Quarè amice lector, si quid hic est quod tibi placere possit, (aliquid autem placiturum non despero) vtere, & fruere labore nostro: errores autem si qui inciderint, & lusus iuueniles, vel ætati qua ista scripsimus, cõdona, vel dissimula. Iterum vale.

Catalogus illustrium virorum & mulierum, quorum mentio in hoc libro fit. Addita etiam sunt doctorum & quorundam piorum nomina, non suppressis interim aliquot impiorum nominibus.

Nomina. *Pagina.*

D. Ioannes Adamus. 26. 52. 72. 107. 129.
D. Tho. Audlæus 28.
D. Guliel. Alanus. 58.
D. Ioannes Abelus. 108.
D. Ioannes Ælmerus. 145. 160
Ad Angliam. 177
Ad Anglos exules. 179.

B.

D. Ioãnes Balæus. 27. 56. 190. 190
D. Ric. Barteus. 35. 55. 95. 183
D. Gu. Buttus. 48. 49. 100
D. Nic. Baconus. 55
D. Bonerus. 55. 175. 180. 191
D. Barlus. 56
Ro. Bertletus. 7. 23. 59. 126
Ro. Benbous. 67
Ioannes Bullocus. 70
D. Tho. Beconus. 101
D. Brokbankus. 111
D. Tho. Bensonus. 119
D. Tho. Benthamus. 152
Arcimboldus Bernardus. 156
D. Hericus Brandonus Suf. Dux. 158. 159.
D. Gualterus Buclerus. 23. 45
D. Ioannes Burcherus. 263
D. Henricus Bullingerus. 172
D. Theodorus Bibliander. 184

C.

D. Catharina Regina Angliæ. 10. 117. 153. 154
D. Catharina Suf. Dux. 11. 37. 71. 117. 138. 162
D. Carolus eiusdem filius. 12. 38. 60. 61. 158. 159
D. Carolus pater Suf. Dux. 18, 19. 44.
D. Gu. Cecilius. 22. 47. 55. 65
D. Ric. Coxus. 24. 58. 183
D. Caluerlæus. 30. 31. 52
D. Edw. Clinton. 55
D. Caræus. 55
D. Cobhamus. 55
D. Ant. Cocus. 55. 58. 65. 176
D. Croftus. 55
D. Chekus. 55. 58. 65
D. Cranmerus 56. 86. 87. 188
D. Milo Couerdalus 56. 152
Iuuenes Cantabrigienses. 62.
D. Clara puella. 79
D. Tho. Caius. 79 121. 123.
D. Anna Caroua. 117
D. Antho. Copus. 141
D. Ro. Couchæus. 156
D. Cheyneius. 160
D. Gu. Colus. 166. 167
D. Conrardus Clauserus. 174
D. Rod. Colinus. 179

D.

D. Rob. Dudleus cum fratribus. 29. 55
D. Henr. Dudleus. 29
Ioannes Draperus. 40. 113. 147
D. Ro. Dimmocus. 49. 111
D. Darceus. 55
D. Vmphr. Dikeus. 118. 153.

D. Gul.

Nomina. *Pagina.*

D.Gul.Dalus.139
Dij canis Epitap.198

E.

D.Edouardus Princeps. 42.184
D.Elizabetha Princeps.46.162
Io.Eſtwicus.14.26.40.52.72 154.161
D.Nic.Eliotus.129.135
D.Guido Etonus.159
D.Valentinus Erithræus.163

F.

D.Ioannes Foxus.8
D.Gulielmus Forthus.53
Robertus Franciſcus.116.140
D.Ioannes Friſius. 167.176.178 179.180.181.188.190
D.Ed.Frenchamus.168
D.Ioannes Fabritius.184
D.Fararius.56

G.

Stephanus Gardinerus.31.33.55 163.
D.Grai⁹ Marchio Dorceſt.50.55
D.Iana Graia.50.51
D.Graij.55
D.Goodricus.56
D.Godacre.56
D.Ioannes Gibbonus.57.68 119.123
D.Anthonius Gilbæus.62.109
D.Ricardus Guentus.122
D.Chriſtopher⁹ Gudmānus.157
D.Rodulphus Gualterus.163. 168.169.170.173.176.179 187.187.
D.Conrardus Geſnerus.169.174 188.189.189
D.Sebaſtianus Gryffius.186.ibi.
D.Sebaſtianus Gouldebecc⁹ 187

Nomina. *Pagina.*

H.

Henricus octauus Angliæ Rex.9. 16.
D.Ro.Huiccus.26.27.36.47.65 110.131
D Tho.Huiſſius.26.44
D.Brigida Huſſea.39
D.Tho Huiccus.47
D.Haſtingi.55
D.Herbertus.55
D.Hauardi.55
D.Hobæi.55
D.Hoperus.56.57.108
D.Harleus.56.168.169
D.Gu.Harriſonus 56.57
D.Ioannes Haleſius.85
Hiberdinus.93
D.Ioannes Houellus.140
D.Gual.Haddonus.157
D.Iacobus Haddonus.160
D.Wolphgangus Hallerus.172
D.Gulielmus Huiccus.47.66

I.

D.Iana Angliæ Regina.20
D.Ioannes Iuellus. 118.139.145 150.171.175.184.186.192.195
Rob.Irrianus.68

K.

D.Knollæi.55

L.

D.Iohannes Leylandus.28
D.Ludouicus Lauaterus.170.

M.

D.Ricardus Maſterus.23,26.73. 139
D.Ric.Moriſinus.23.55
D.Montioius.55
D.Mildmei.55
Ad Muſæum Martonenſe.76

Ad

Nomina. *Pagina.*

Ad Gymnasiũ Magdalanense.77
D. Gu. Morus. 30. 102. 122
Hermannus Mennus 108
Ad cœtum Martonensem. 118
D. Gualterus Marton Rof. Ep. 144
D. Maria filia Catherinæ Reginæ. 154
D. Petrus Martyr. 157. 181
D. Christ. Montius. 162
D. Tho Martinus. 175
D. Gu. Maisterus. 192

N.

D. Alex. Nouellus. 26. 63
D. Northus. 55
D. Gu. Nauntonus. 155

O.

D. Georgius Ouinus 45
Iuuenes Oxonienses. 62
Ad amicos Oxonienses. 48
Ad Academiam Oxonien. 48.

P.

D. Henr. Polstedus. 25
D. Parrus Marchio Northt. 43. 55
D. Ponetus. 56. 163. 178. 182
D. Georgij Parkhursti Epit. 57
D. Philippus. 65, 68. 102
Nic. Partrigius. 93
Guliel. Pius. 93. 116 139
D. Georgius Paruisius. 97
D. Ioannes Pageus, 140
In Perinnum. 152
D. Porus. 153
D. Tho. Palfremannus. 156
D. Philpotus. 160
D. Philippus. 160
D. valerandus Pollanus. 162
D. Conrardus Pellicanus. 180
D. Iohannes Pekinus. 107

R.

D. Tho. Robertsonus. 28
D. Russelli. 55
D. Ratcliffi 55.
D. Rossus. 55
D. Ridleius. 56
In Romam. 66

Nomina. *Pagina.*

D. Richus 55
D. Tho. Robertus. 161

S.

D Edouardus Seymorus Auunculus Edouardi Regis. 55
D. Thomas Seymorus. 55
D. Sadlerus. ibid.
D. Smythus. ibid.
D Samson. ibid.
D. Scoræus. 56. 158
D. Symmingus. 55. 68
De Skeltono. 103
Squirus. 147
Elizabetha Simpson. 150
D. Iohannes Sturmius. 162
D. Iohannes Sapidus. 162
D. Ioannes Sanfordus. 168
D. Huldericus Zwinglius. 169
D. Iosias Simlerus. 172 173. 191.
D. Ricardus Smithus. 182
D. Thomas Spenserus. 184

T.

D. Tonstallus. 55
D. Tailor. 56
D. Nic. Throgmertonus. 98
D Michael Toxites. 162
D. Bar. Traherõ. 26. 58 72. 87. 113 Pa. 130. 131. 135. 142. 148. 149

V.

D. Nicholaus Vdallus. 61
D. Ioannes Vlmius. 167
D. Thomas Viatus. 25

W.

D. Armigillus Wadus. 23
D. Whithedus. 39. 51. 61. 114. 140
D. Tho. Wilsonus. 40. 55. 68. 89 196
D. Robertus Wisdomus. 49
D. Wentworthi. 55
D. Wrothus. 55
D. Iohannes Wolphius. 167
D. Rod. Wonlichius. 173
D. Ioãnes Iacobus Wickius. 174
D. Reynerus Wolphius. 191.

FINIS.

¶ *Amice lector priusq̃ hunc legas libellum, errata sic emendato, quorum pleraque punctorum defectu committuntur.*

Pag.	Lin.	Errata.	Emendatio.
11	20	minus	nimis.
17	24	pascier	pascier
18	29	Hic	Hic
19	5	illustrissimimo	illustrissimo
26	3	Charites	Charites,
Ibid.	21	crumena.	crumena
27	22	Episcopum	Episcopùm
28	19	fuit.	fuit
Ibid.	21	tecnm	tecum
29	26	Kayhoue	Kayhoua
32	26	triplex	triplex.
Ibid.	27	belinguis	bilinguis
45	23	equi^{q}	equi^{q}
45	30	si des.	sides,
49	24	Gulielmum	Gulielmus
52	8	Missui eorum insiste ac vestigiis.	Missantium ne insistito vestigijs.
Ibid.	12	sacrificum	sacrificùm
53	8	Schepreuum	Schepreuum
Ibid.	18	meus	meus
Ibid.	21	Onympi	Olympi.
Ibid.	24	omni pars	omnipara
54	12	struant	struat
56	6	Ponetus.	Ponetus.
57	1	æuopolijs	ænopolijs
59	14	sepnitur	sequitur
61	19	velox	velox,
62	23	peregat	pereat
64	26	perperisse?	peperisse?
65	19	queris	queris?
Ibid.	26	Nous^{q}	Nonaq^{q}
67	4	cynama	cynnama
68	23	sanctè	sanctè
69	9	sui.	sui?
71	11	ni	vi
72	17	Decolor	Decolor.
73	12	at	vt
Ibid.	28	pallorit	pectoris
74	7	colunt.	colunt.
Ibid.	13	nûllo	nullo
Ibid.	26	spurcai	spurcas
76	13	Cosmographos	Cosmographos
		Medicos	Medicos,
Ibid.	16	vno.	vno.
Ibid.	28	prodibat Estw.	prodibant Estw.
77	1	Calica	Calica,
Ibid.	3	Brittanica	Brittannica

Pag.	Lin.	Errata.	Emendatio.
Ibid.	9	locis.	locis :
Ibid.	11	pios.	pios :
Ibid.	20	dare.	dare :
Ibid.	25	Tale	Tali
78	7	indigni	indigus
Ibid.	19	tui.	tuo.
79	12	parcæudum	parcendum.
80	9	Sunpsimus.	Sumpsimus.
81	18	donabit	dono dabis
84	12	miditata	meditata
85	23	Magnificit	Magnificis
94	3	concinuisse	concinuisse
97	6	(inquit)	(ait)
98	14	potestat	potestas,
104	21	flagitiosas	flagitiosus
111	24	ni	vi
117	26	Carounam	Caroniam,
123	10	potanum	pontanum
135	21	ausere	auferre
138	26	Fritonelum.	Fritouelium.
143	17	Parsitam	Parsitum
146	26	Quid ad me	Quid id ad me
155	18	Nelus.	Nisus.
162	28	papigina.	papigena.
164	12	sapissima?	sapissimè?
166	6	belli potens	belli potens
168	16	tamen,	tamen.
Ibid.	19	Ate	Ate,
		Iaschus	Iacchus,
169	3	queamus.	queamus?
173	2	Num	Nunc
Ibid.	20	VVoulichium.	VVonlichium.
Ibid.	22	VVoulichi.	VVonlichi,
176	4	cauta	cauta,
Ibid.	20	Illa	Ille
		mihi	mihi
Ibid.	26	viue	viue,
177	9	nos	nos.
Ibid.	10	fraudet.	fraudet,
Ibid.	22	repellet.	repellet,
177	25	modis	modis.
Ibid.	28	præmonitor.	præmonitus?
180	11	Sangius.	Sangius,
181	14	compare	comparare
182	4	vt	vel
Ibid.	13	aquilos,	aquilas,
Ibid.	26	notarium	votarium

IOANNIS PARKHVRSTI
Ludicra ſiue Epigrammata Iuuenilia.

Ad candidum Lectorem.

IVdicra cur placuit mea carmina dicere lector,
In promptu cauſas ecce tibi varias.
Ludicra nempe voco, quòd ſint iocularia multis
Interſperſa locis, miſtaq; multa ſuis.
Ludicra vel potius, quia nil nugalia præter,
Nil præter nugas ludicra penè dabunt.
Vel quia, cum ſtudijs laſſus grauioribus eſſem,
Ludicra ludendo ſcripta fuere mihi.

Ad eundem.

SI quis forſan erit, cui Ludicra noſtra legentur,
Candidus hic faueat, conſulat hæcq; boni.
Ludicra feſtiuo nam luſimus omnia plectro,
Et ſunt ingenij primitiæ iſta mei.

Ad eundem.

CVm legis hunc noſtrum lector ſtudioſe libellum,
Decedat vultu tetrica ruga tuo.
Non ſunt hæc triſti conſcripta Catonibus ore,
Non Heraclitis, non grauibus Curijs.
Sed ſi Heraclitis, Curij, ſi fortè Catones
Adijcere huc oculos, & legere iſta velint:
Multa hîc inuenient, quæ poſſint pellere curas,
Plurima, quæ mæſtos exhilarare queant.

Querela Domini exercituum. Ezech. 34.

MOntibus in cunctis, necnon in collibus altis,
Errauere greges, turba miſella, mei.

Turba miſella quidem palans hinc inde vagata eſt:
Nemo tamen voluit quærere, nemo tamen.

Curſus vitæ D. noſtri & Seruatoris Iësu Chriſti. Rogatus a D. Hieronymo Zancho, hæc ſcripſi, Tiguri. 1557.

Aduentus Chriſti in carnem.

ABſq; viro facta eſt fœcunda Deipara, natum
Pneumatis adflatu concipit ipſa ſuum.

Natiuitas.

PVrus homo ex pura Meſsias virgine natus,
Cui præſepe thorus, Regia cui ſtabulum.
Ah pudeat miſeros, pudeat, totus quibus orbis
Vix ſatis eſt: Domini cernite pauperiem.

Circumciſio.

INditur (abſciſſa pueri cute) nomen Iësu,
Scilicet ille ſalus, noſtraq; iuſtitia eſt.

Epiphania.

MVnera grata ferunt longa regione profecti:
Monſtrat eis certam ſtella coruſca viam.

Diſputatio cum Doctoribus.

DIſputat in templo bis ſenos circiter annos
Natus, grandæuos multa rogatq; patres.
Obſtupuêre omnes, iuuenesq;, ſeneſq; verendi,
Tantam mirantes in puero Sophiam.

Baptiſmus.

Baptiſmus.

ABluitur ſacra Chriſtus ter Maximus vnda:
Fratribus exemplum præbuit ipſe ſuis.
Vox audita Patris cœlo delapſa ſereno,
Quo ſum placatus, filius ecce meus.

Tentatio.

HOſtis ter Chriſtum petit, & ter vincitur hoſtis:
Nobis victor adeſt, victus obeſſe nequit.

Doctrina.

SEmen per varias ſanctum diſſeminat vrbes:
Munus Diſcipulis mandat idemq; ſuis.

Miracula.

OMne genus morbos curat, dat lumina cæcis,
Recto claudipedes & facit ire gradu.
Quæ malè diuexant miſerorum corpora, mentes,
Verbo Dæmonijs imperat, atque fugat.

Ingreſſus Hieroſolymam.

INgreſſus Solymas pigram conſcendit aſellam,
Martius huic Regi nullus erat ſonipes.
Tanto turba Duci rudis omnia fauſta precatur,
Veſtibus & ramis vndiq; ſtrata via eſt.

Lotio pedum.

VIlia mendico præſtemus munera fratri:
Hoc tua nos docuit lotio Chriſte pedum.

Paſſio & Mors.

PLurima perpeſſus, vitã cum ſanguine fundit,
Vt purget, vitæ reſtituatq; ſuos.

Resurrectio.

DEictis Satana, Peccato, & Morte resurgit:
Hostes sub vasta non tenuere petra.

Ascensio.

AStra petit Christus, nos astra petemus et ipsi:
Christus eò nobis namq; recluſit iter.

Spiritus sancti missio.

SPiritus è rutilo sanctus delapsus olympo,
Roborat infirmos, vera docetq; pios.
Mox linguis loquitur varijs (mirabile dictu)
Sacra cohors: meritò cætera turba stupet.

Iudicium extremum.

ADueniet Christus supremo tempore iudex,
Qui mediator erat, quiq; redemptor erat.
Omnes sistemur tunc illius ante tribunal,
Digna feret factis præmia quisque suis.
Iusti cum Christo regnabunt tempus in omne,
Tartara nigra petent tempus in omne mali.

Ad Cotylum.

SI quid habent vates turpes quod narret amores,
Si quid, quod mores inficiatq; probos:
Id legis, ediscis: bona sed legisse recusas:
Cur mel fastidis, toxica curquè voras?

Ad Torpetum.

MIraris coniunx tua quòd pariat nihil? illa
Quid pariet, cum tu gignere nil poteris?

De

De ſuis ſomnijs.

Somnia me Cræſum fecerunt ſæpe ſuperbum,
Et gazis viſus ſum ſuperare Midam.
Somno experrectus, mox ſum mendicior Iro,
Irus ita vſque fui, deſii at eſſe Midas.
Somnia fallaci cur ſic me luditis arte?
Somnia læta nimis, Somnia vana nimis.

Auari Epitaphium.

Terrenus in terris ſtudebam terreis,
Vt aſſolent Talpæ, quibuſcum terreum
Maneo cadauer, eſca modò vel vermibus.
Cruciant animulam hei Dæmones teterrimi.
Abi viator, factus & periculo
Prudens magis meo, ſtude cœleſtibus.

Decem Præcepta decem verſibus comprehenſa Exod. 20. Scripſi in grām. D. Ioannis Wolphij Tiguri, in exilio.

VNum agnoſce Deum, colas & vnum.
Ne fingas ſtatuas, nec has adores.
Nomen ne Domini tui prophanes.
Sacratus tibi ſeptimus dies ſit.
Cultu proſequitor pio parentes.
Occidas hominem caueto quenquam.
Caſtum ne alterius cubile fœdes.
Non furtum facies, doli faceſſant.
Nulli falſus eris, vafer ve teſtis.
Vicinique tui nihil cupiſcas.

In Proculum.

GRæca doces, Hebræa doces, simul atque Latina:
Cum fructu vt doceas, Procule disce prius.

In Vincentium.

VIncenti tibi sæua dedit victoria nomen,
Vincere qua sanctos sanguinolente soles.
Vincere nam firma quos non possis ratione,
Hos vis vinciri, vincere sicquè cupis.
Et quos eloquijs non possis vincere sacris,
Hos tamẽ haud cessas vincere, namq; cremas.
Olim Vincenti malè sic vicère Tyranni:
O Homicida, pios vincere sicne iuuat?
At nisi Vincenti cesses sic vincere, vindex
Vincet te Christus, vinciet & Satanas.

Voluptates spernendæ.

SPerne voluptates, demens quas diligit orbis:
Sunt etenim pestes corporis, ac animæ.

Ad Medicum.

DOlet caput grauissimè:
Malagma das herbarium,
Catapotium das insuper.
Pulsus dein tractans meos,
Remissior sit iam dolor,
Inquis: nego: inquis: pernego.
Vt decieres, at pernego.
Vt sit: tamen non sentio.

Ad Candidum febricitantem.

FEbre laborantem me visis febre laborans:
Et fiam sanus qua ratione doces.

Candide

Candide abito domum, cum te curaueris ipſum,
Huc redeas: noſter tunc eris & medicus.

In Æmilianum.

OCia ſemper agis? nihil eſt quod agas? age porcos,
Actū age, agaſue animam, ſic quidē ages aliquid.

In Rutellium Nobiliſtam, ſiue nouum hominem.

VEteri neceſsitudine eſt iunctus mihi
Pauperculus, pannoſus, & totus lacer
Rutellius: veſtitus ille ſplendidè
Viſus mihi eſt ſtipatus aliquot ſeruulis
Nuper: adeo hunc: dextramq; lætus porrigo:
Etiam genu incuruo, obruo ſalutibus.
Tu quis es, ait, criſtas ſuperbus erigens.
Qui ſim refero: toruo ſed is me lumine
Aſpicit, aitq; : quiſquis es, notus mihi
Non es: Recedo, tale quid ſubmurmurans:
Quî noſceret me, cum ipſe ſe non nouerit?

In Crattum Pauperem.

MErcator diues vult pauper Crattus haberi:
Annulus in primo ſcilicet eſt digito.

De Roberto Bertleto a latronibus capto.

BErtletus feſtiuus homo, mirèq; facetus,
Aſtuto ac vegeto præditus ingenio:
Londinum dum verſus iter deflecteret, ecce
Latronum in ſæuas incidit ipſe manus.

Quem nummis postq̃ spoliassent omnibus, vnus
Prædonum, cur non hic iugulatur, ait.
Festiuè tum Bertletus respondit, amice
Si iuguler, posthac quomodo quæso bibam?
Diffluit in risum confestim turba latronum,
Atque abit: & miseram sic fugit ille necem.

In Pelagiam meretriculam.

MVlti te visa pereunt, & tabe liquescunt,
Vt nix cana solet sole perusta vago.
Multi te visa pereunt, & tabe liquescunt,
Nempe viri tantum nomine, re minimè.

Ad Ioannem Foxum.

TAnta siet cum simplicitas morũ tibi, vulpis
Astutæ nomen cur tibi Foxe datum est?

De Corseto.

SVrgere quando solet Corsetum interrogo, & ille,
Post quartam soleo surgere semper, ait.
Octaua surgit: post quartam igitur: Nihil vnq̃
Verius in vita dixerat ille sua.

In Bossum sacrificulum.

VXorem non vult propriam, sed vult alienas
Bossus: vir est votarius.

In Hypocritas.

QVisquis coràm alijs esse velit pius,
Intus lerna malorum lateat tamen:
Is pictis statuis persimilis quidem est.
Pulchræ hæ sunt foris, ast intus araneis
Fœdantur putribus, puluere, vermibus.

Verbum Domini Manet In Eternum.

Scribendū esset aternum cum diphthongo, sed Pictoribus atque Acupictoribus quiduis licet.

V D M I E

Herois in Germania satellites
Has in manicis sutas habebant litteras,

V D M I E

Laruatus vt vidisset illud Episcopus,
Quid litteræ hæ velint, rogat, maiusculæ:
Respondit huic quidam lepidè, at verissimè.
Verbum Diaboli Manet In Episcopis.

Papisticis.

Carmen gratulatorium scriptum sub aduentum potentissimi Principis Henrici octaui in vrbem Oxoniensem, anno dom. 1543. Scripsi in gratiam Gulielmi Pici vt affigeretur foribus Collegij Regij.

Rex mutato cōsilio, quamuis auidè expectatus, non tamen venit, sed aliò prater omnium expectationem subitò diuertit.

SI qua dies lætis fuerit celebranda Camænis,
Musæ antehac frontes si explicuere suas:
Hæc est illa dies albo signanda lapillo,
Nunc Heliconiades gaudia blanda decent.
Ponite vos hilares lugubria plectra Camænæ,
Nunc cecinisse iuuet nil nisi dulce melos.
Barbita læta sonēt, citharæ, organa, nabla, lyræq́,
Lætaq́ Pieria tu cane Phœbe chely.
Oxonium altisonos ne cesses ædere plausus,
Sint tibi lætitiæ plurima signa nouæ.
En tua magnanimus vehitur per compita princeps,
Anglia quem Regem gaudet habere suum.

D.i. *Gaudet*

Gaudet habere ſuum populoſa Britannia Regem,
Floreat vt virtus, vt pereatq; ſcelus.
Legibus hic ſanctis ſanctiſſimus vſque gubernat
Regna, quibus non ſunt florida regna magis.
Hic fouet & doctos, quibus et ſua præmia reddit:
O verè magnum nobilitatis opus.
Hic velut Alcides deformia monſtra ſubegit,
Et ſacro ritus abſcidit enſe malos.
Alter hic Ezechias Serpentem contudit atrum,
Huius ope Italicus concidit & Golias.
Impia magnanimus ſubuertit ſacra Ioſias,
Et docet, vt Ioſaphat, iuſſa verenda Dei.
Denique virtutes quis fando expreſſerit omnes,
Quæ Regem exornant, condecorantq; pium?
Immenſum cuius diſcurrit fama per orbem,
Et celebris complet ſolis vtranq; domum.
Terris fama manet celebris, celebriſq; manebit,
Dum fluet in ſalſas Thamiſis vdus aquas.
Sæcula non talem Regem videre priora,
Poſteritas ſimilem vixq; videbit anus.
Inclyte Rex ſpecimen raræ virtutis, honóſq;
Et columen gentis, deliciumq; tuæ:
Sis fœlix, multos viuas fœliciter annos,
Longæui ſuperes ſæcula Tireſiæ.
Tu quoque fœminei ſexus decus ô Catharina,
O qua non viuit fœmina nobilior:
Sis felix, Chriſtus reddat te prole beatam,
Chriſtus det Pylij viuere ſæcla ſenis.

Hæc Regina poſt paucos annos me in ſuam familiam aſciuit.

Ad incomparabilem fœminam Catharinam Reginam Angliæ.

SI te nouiſſent Latij vatéſquè Pelaſgi,
Ornaſſent tanta laudéne Penelopen?

Non

Non certè ornaſſent : nam tu virtutibus anteis
Penelopen multis paſsibus Argolicam.

In Fobbum.

FEbribus aſsiduis vexaris, tabe, catarrho,
Vexaris podagra, torminibus, chiragra.
Vexaris ſpaſmo, mentagra, hydrope, mariſcis,
Vexaris morbo denique cardiaco.
Cum tot te adfligant mala, dic quando moriêris?
Perpetuò viues, ni moriare breuî.

In Battum malum cantorem.

DVm canit, egregius vult Battus cantor haberi:
Sic & vult Coccyx, ſic quoque Nyctícorax.

De Perſephone anu & Pyllione iuuene.

PErſephone deformis anus pulchras habet ædes,
Hanc ſe ductúrum Pyllio ſpondet anum.
Deperit hæc Iuuenem, iuuenis ſed deperit ædes:
Hiccine ducet anum? Nil minus: Ergo domum.

Ad Marcellinum.

DIuitias quandoq́; cupis, quandoq́; recuſas:
Aut nimis es ſapiens, aut minus es ſtolidus.

Ad inclytam fæminam Catharinam illuſtriſſimi Ducis Suffolciæ vxorem. 1542.

SI velis inter numerare ſeruos
Me tuos, ô gloria fæminarum
Summa, fœlicem reputauero me,
Atque beatum.

Laudibus nomen ſuper aſtra tollam,
Verſibus noſtris celebraberiſq3,
Adq3 longinquas tua fama terras
Clara volabit.
Plurimi vates facito facetos,
Hi tuos poſſunt docuiſſe natos,
Qualibus rebus Ducibus parata eſt
Gloria geſtis.
Hiquè poſſunt magnanimi mariti
Caroli clarûm decoris virorum
Facta venturæ bene tradidiſſe
Poſteritati.
Ergò deuotum tibi Diua vatem
Infimos inter famulos recenſe,
Sic ego dulci Linon, Orpheumq3
Carmine vincam.

Clariſſimo adeoq; optimæ ſpei puero
Carolo eiuſdem Heroinæ filio.

CArole ſpei ſummæ puer,
Indole generoſa prædite,
Prænobili orte ſtemmate,
Sanctiſq3 culte moribus,
Salueto multum: Te Deus
Saluum velit nobis diu.
Audito quæſo paucula,
Raptim tibi quæ ſcribimus,
Obtemperaſſe proderit.
Da ſedulò operam litteris,
Quas pædagogus te docet
Whitehedus, artium bonus
Cultor bonarum, vir pius.
Operam

Operam dato inquam litteris,
Moresq; ſanctos imbibe,
Tenella dum eſt ætatula.
Numen timeto Olympicum.
Tuos parentes & cole,
Et Pædagogum dilige.
Dignum Deo ſic vaſculum
Præclare fies Carole.

In Boſſum ſacrificum
ἀνθρωποφάγον.

IN ſacris carnes edis, inteſtina, capillos:
Præterea oſſa voras: Boſſe guloſus homo es.

In eundem.

ANobis tangi non debet fœmina, Boſſus
Clamat, namquè ſumus turba dicata Deo.
Mentitur Boſſus: nam tangunt, vel ſine tactu
Innumeri poſſunt ſacrifici eſſe patres.

De Luperco.

VXorem volo fœcundam, quæ prole beare
Me poſſit, ſterilem nolo, Lupercus ait.
Duxit Franciſcam, votis fruiturq; cupitis:
Poſtridiè quàm eſt hæc nupta, parit geminos.

Ad Hilarium.

SEmper Catone es triſtior:
Quære aptius nomen tibi.

Blanditur Fortunæ.

ESſe quid hoc dicam, quòd nulla pecunia noſtros
Venerit in loculos? Siccine fata volunt?

Quid iuuat ô Fortuna tuis me perdere telis?
En veneror numen candida Diua tuum.
En ſupplex vt tendo manus tibi Diua ſupinas,
Supplicis in ventos ne rogo vota cadant.
Eſt tibi præ reliquis regina Pecunia chara,
Nata hæc prætereà dicitur eſſe tua.
Hæc veniat rogo in amplexus Dea candida noſtros,
Hæc me fœlicem reddere ſola poteſt.
Nunc etenim nimis infœlix ſum, pauper, egenus,
Curis confectus, mœſtáque fata gemens.
Hactenus heu nimium fatis ſum preſſus acerbis,
Nunc niſi ſpes fallat, me meliora manent.
Excipit obſcuras lux ipſa coruſca tenebras,
Depulſaquè redit nube ſerena dies.
Tu fortuna meis ergò iam conſule rebus,
Túque breuî venias chara Pecuniola.
Non ego ſqualenti te claudam carcere, verùm
Eſſe potes per me libera, tuta, vaga.
Ergo veni ad noſtras regina Pecunia dextras:
Si venias, viuo: ni venias, pereo.

Ad Ioannem Eſtwicum.

Hactenus haud licuit te viſere, vt ante licebat:
Tam Fortuna mihi dira nouerca fuit.
Claudus quî potui? exhauſtiſq; venire locellis
Nolui: an ignoras moris id eſſe mihi?
Cum pluma leuior dependeat ægra crumena,
Tum cochleæ vitam viuere dulce quidem.
Sed cum tinnitu reſonet, cum plena tumeſcat:
Tum valeant cochleæ, mœſtáq; vita domi.
Intrà paucos hoſce dies me ſpero habiturum
Nummos, tum viſam teq; meumq; Pium.

De

De T. Launæo.

Launæus œnopolium
Petens, comitatus interim
Aliquot bonis gerronibus,
Vidénsq; præpinguem hoſpitam,
Famulaſq; pinguiuſculas,
Ait ſodalibus : Bono
Animo eſte, nam prandebimus
Lautiſſimè & ſuauiſſimè,
Deerunt nequaquam porculi,
Nam video obeſas hic ſues.

In Calliodorum.

Triſtatur, pallet, non dormit, nil edit, ardet:
Nec tamen ægrotat Calliodorus : Amat.

In Lupum.

De me Lupus nunquàm loqui ceſſat malè:
Condono : nam nunquàm loqui didicit bene.

Ad Reges & Principes admonitio, vt Chriſtum & eius doctrinam amplectantur. Pſal. 2.

Audite ô Reges, proceres audite potentes,
Ne pudeat Chriſti ſubdere colla iugo.
Chriſto ſeruite, hunc Regemq; agnoſcite veſtrum,
In vos ne ſummi ſæuiat ira Dei.
Ne ſic errantes à vero tramite, tandem
Deijciat cæcas vos Deus in tenebras.

Verbo Dei abſq; contradictione credendum.

Quicquid Pythagoras dixiſſet, Pythagoræis
Hoc argumentum forte erat, αὐτὸς ἔφα.

Quod Dominus loquitur, nobis non ſufficit: Eheu
Quales nos, quibus eſt non ſatis, αὐτὸς ἔφα.

Ad inuictiſſimum Principem Henricum octauum, cum ad obſidionem Boloniæ proficiſceretur. 1543.

ERgo tuas linques Rex inuictiſſime terras?
Ergo per Oceanum Gallica regna petes?
Quod ſi decreſti, ſi tantus & ardor eundi eſt,
Si res nulla poteſt te retinere domi:
Sydere eas fauſto, ventiſq; vehare ſecundis:
Diſturbet tumidum nulla procella fretum.
Hoſtibus accedat tibi ſplendida gloria victis:
Rex abeas felix, ſic redeaſquè tuis.

In G. Goſſum fab. E.

O Goſſe quantum deſipis,
Duas habes vxorculas,
Habere vis & tertiam.
Alii putant vnam ſatis.

Ad Fortunam, immò ad Deum.

MArſupium nummis vt poſſit inane repleri,
Obſecro faueas ô Dea cæca mihi.
Sed quid mentis inops imploro numina ficta?
Numina Chriſticolis non memoranda pijs.
Ergò ſumme Deus, quoniam potes omnia ſolus:
Vel nummos, vel quod ſit ſatis (oro) dato.

De Molzo proijciente vxorem in mare.

CVm vehemens ſubitò tempeſtas orta fuiſſet,
Penè eſſetquè auidis obruta puppis aquis:

Iuſſi

Iussi sunt omnes iacere in mare res grauiores,
Vt possent cursu liberiore frui.
Molzus at vxorem proturbat in æquora, dicens,
Est mihi rixosa coniuge nil grauius.

Euangelion oppugnari potest, expugnari non potest.

QVi sacrum Christi satagit conuellere verbum,
Vulnificum contrà calcitrat hic stimulum.
Florida quæ nimio compressa est pondere Palma,
Fortius exurgit viribus aucta suis.
Auricomansq; crocus quo calcatur magis, exit
Hoc magis, excrescit, floret eóque magis.
Sic Euangelion, quantumuis turba Papalis
Conspuat, oblatret, crescit vbique tamen.

In Euangelij hostes.

EVangelij lucem vident ægerrimè
Quidam Papisticissimi Pastorculi.
Nec esse mirum debet, iutuerier
Non sustinent solem coruscum noctuæ.
Ipsi legere sacrata nolunt Biblia:
Et qui dies noctésque legere peruelint,
Hos haud sinuut, viri proculdubio ἄθεοι.
Faciúntq;, quod canis solet in præsepio.
Nihil is edit, volentẽ Equumq; pascier
Non patitur. O nephanda liuoris lues.

In Rullum.

SAnctulus est vultus, vertex rasus, toga longa:
Qui sis Rulle scio, qui fuerisque scio.

In reditum Caroli illustrissimi Suffolciæ Ducis à partibus Septentrionalibus.

Carole nobilium decus immortale virorūm,
Quo duce vel meritò terra Britanna tumet:
Expectatus adès iam longo tempore multis,
Absentem qui te tam doluere diu.
Gaudeo ego ad notos iam te rediſſe penates,
De reditu gaudet plurima turba tuo.
Gaudia nemo quidē verbis expreſſerit vnquàm,
Quæ ſunt in tacito gaudia clauſa ſinu.
Te propter reducem ſuperis effundimus omnes
Grates, vnanimes & pia thura damus.
Inclyte Dux ſeruet ſemper te Chriſtus Iēſus,
Seruet & vxorem, filiolóſque tuos.

In Boſſum.

IN qua non decies bene ait, vix præterit hora:
Cum bene ait Boſſus, cogitat ille malè.

De Lollo & Cæciliana, marito & vxore.

PRandet rarò domi Lollus, facit idq; lubenter:
Prandeat vt rarò, Cæciliana cupit.
Cænat rarò domi Lollus, facit idq; lubenter:
Vt rarò cænet, Cæciliana cupit.
Dormit rarò domi Lollus, facit idq; lubenter:
Dormiat vt rarò, Cæciliana cupit.
Hanc rarò alloquitur Lollus, facit idq; lubenter:
Id rarò faciat, Cæciliana cupit.
Baſiat hanc nunquàm Lollus, facit idq; lubenter:
Baſiet vt nunquàm, Cæciliana cupit.
Hîc cum illa nunquàm cubat, id facit atque lubenter:
Vtque cubet nunquàm, Cæciliana cupit.

Vxorem

Vxorem cupit hic aliam, cupit atque lubenter:
Optat habere alium, Cæciliana virum.
O quanta est istos inter concordia? vterq;
Quando lubenter idem nolit, idemq; velit.

De Carolo illustrissimo Suffolciæ Duce.

MAuors cum Carlum vidisset in arma ruentem
Obstupuit, dicens: Carolus alter ego est.

In Clytum.

NIl ego per menses tres inquis, febre laborans
Edi: Te puto plus ergo bibisse Clyte.

In Saturninum.

ILlesa fama & integra,
Vt absq; labe sit tibi,
De te loquantur vt bene,
Vt sentiant de te bene
Omnes, cupis enixissimè.
Cum sis tamen malus, rudis,
Leuis, inquietus, turgidus,
Austerus, improbus, tenax,
Immitis, implacabilis,
Mendax, acerbus, sordidus,
Versutus, impotens, minax,
Trux, virulentus, inuidus,
Mordax, superbus, perfidus,
Fallax, seuerus, impudens,
Morosus, asper, arrogans,
Præceps, proteruus, insolens,
Astutus, inconstans, furens.
Viuit ne te impudentior,

Quisquàmue glorioſior?
Quando facis ſemper malè,
Audire vis tamen bene.

In Florianum.

QVæ prior vxor erat, nullum peperit mihi natum
Inquis, ſed natum poſterior peperit.
Hæc natum peperit tibi, nec peperit tibi natum,
Nam tuus hic, & non dicitur eſſe tuus.

Inclytæ fæminæ Ianæ Reginæ Angliæ & Regis Edouardi matris. Epitaphium. 1537.

Hîc iaceo, per quam tellus Brittanna beatur,
Nomen ſi cupias noſcere, Iana fui.
Henrico Regi coniunx fidiſſima nuper
Filiolum peperi, deinde quidem perij.
Nec perij tamen, vtpote cui ſit vita perennis,
Et quæ perpetuò viuit, ea haud perijt.

Aliud eiuſdem Reginæ Epitaphium.

OQuid caducis rebus & fugacibus
Credas? quid vmbræ lubricæ ac volubili?
En Iana, nuper totius Britanniæ
Decus, puſilla nunc in vrna dormio,
Ægerrimo confecta nixu. Scilicet
Tanti fuit lumen decúſq; patriæ,
Reiq; culmen parturire publicæ.
Deflere noli me, viator, mortuam.
Viuo fruorq; gaudijs perennibus.
At ante rerum in omnium affluentia
Cum viuerem, tantum videbar viuere.

Tu, quod licet, meo diu feliciter
Fruare gnato: nam parente non licet.

De attactu sacrorum in Synaxi seu Communione Papistica.

VNcta cohors tantùm panem, calicemq; sacratum
Attrectat, quod non turba prophana facit.
Cheiro tamen thecis induta potest: Hominum ergò
Anteferenda cuti pellis ouina fuit?

In Hærillum.

NIl operis facit Hærillus, tamen usque laborat:
Podagra laborat torpida.

In eundem.

ORnari dapibus vis mensam, at nil edis ipse:
Ventrem non pascis, pascere vis oculos.

De R. Tyndalo. T.

NOn hodiè capitosus homo nudat caput vlli
Tyndalus: vxorem Candide duxit heri.

In Valgium.

IVniperi baccas, piper & vendis simul vná:
Mercator bonus es, Pharmacopola malus.

De Hassone.

VXor quî valeat morbis confecta, rogo Hassum:
Sat bene, prodibit (rettulit ille) breuî.
Hassum veridicum quis vatem non putet esse?
Mortua postridiè prodijt ad tumulum.

Ad D. Gulielmum Cæcilium : Sedigiti Gelliani imitatio.

VT Cæcilio vrbs Romana primas detulit,
Solique palmam tradidit de Comico:
Sic Cæcili primas tibi dat Anglia,
Soli statuit palmamq́, de viro bono.
Atque ista laus tibi propriè tam conuenit,
Vt, sentiat si quis secus, nil sentiat.

De eodem & Gulielmo Turnero Medico febricitantibus, ad Barth: Traheronem.

ÆNigma si dissolueris, eris Oedipus,
Tantum duos qui perdidit, tres perdidit.
Sed quicquid est, me præstat ipsum dicere,
Ne te diu quærendo frustrà torqueas.
Quartana dum suauissimos amiculos
Perdit duos, me perdit vnà tertium.

In quartanam D. Cæcilium & Turnerum miserè diuexantem.

ARida cum tantis incendas viscera flammis,
Et dirum in misero corpore virus alas:
Ossaq́, cum succo spolies, & sicca relinquas,
Non queo te febrim dicere, pestis eris.

Opera sex dierum. Genes. 1.

LVx, cœlum, tellus, stellæ, pisces volucresq́,
Tunc animal quoduis, atque creatur homo.

Ad Sixtum.

FOrmosam duxti vxorem : placet hæc tibi Sixte?
Morosam duxti : nunquid & illa placet?

Ad

Ad D. Gualterum Buclerum.

EN tibi læta damus, lætum quæ reddere possint:
Læta igitur leta perlege fronte rogo.
Ludicris Buclere meis sis optime scutum,
Et formidabunt liuida tela nihil.

Alludit ad nomen illius nam Bucler Anglis significat scutũ.

Ad D. Ric. Masterum.

ALij solent pecuniæ insidiarier,
Noctes diesq; hanc congerunt rapaciter,
Perennis esset hæc quasi vita per breuis.
At ipse sperno fortiter pecunias,
Vuas vt olim spreuerat vulpecula.

In Æmilianum.

OSq; genasque patris, vis lumina matris habere:
Frontem cuius habes Æmiliane bifrons?

Ad D. Armigillum Wadum.

LVdicra nostra leges? ne legeris, illa legendo
Credito Wade mihi, luseris omnem operam.

De Duce quopiam & Rob. Bertleto.

BErtleto infensus grauiter dux inclytus olim
Dira minatus erat, certaque supplicia.
Pol, inquit, nebulo caput abscindetur, at ille
Obsecro vbi stabit pileus ergò meus?
Eximius risit Dux, est nec plura minatus,
Inq; hilares spumans vertitur ira iocos.

Ad D. Ricardum Morisynum.

VAtes finxerunt veteres Musas habitasse in
Montibus, in syluis, irriguisq; locis.

Hoc quàm ſit verum, videant illi: hoc ſcio verum,
Pectore quòd maneant mi Moriſyne tuo.

In Slutterkinum hominem auarum.

AD cænulam cur me vocas?
Potus tenuis mî non placet.
Placet mihi fabaceus,
Paniſq; furfuraceus,
Sordens, vetuſtus, ſqualidus,
Multò minus: nec caſeus
Poteſt placere vermibus
Scatens: radices eſito
Non tam libenter: Tu vale,
Conuiua non ero tuus.

In Banbyrianum.

VIr bene nummatus vis Banbyriane videri,
Diuitias iactas & ſine fronte tuas.
Non ego diuitias tibi tantas eſſe putarim,
Omnia cum tecum Banbyriane feras.

De Totylo.

STatim ſequetur Totylus:
Naſum præeuntem conſpicor.

In Dryam.

Sæpe ſaluto Dryam, reſalutat nec tamen illa,
At ſemper grunnit: hanc ego credo ſuem.

Ad D. Ric. Coxum Edouardo Regi ab eleemoſynis, & Oxonienſis Academiæ Cancellarium.

CONſequier verbis nequeo, nec prendere mente,
O Coxe vir clariſſime,

Quàm

Quàm cupiam nostros in te defigere vultus,
Manui manumq; iungere.
Sic te depinxit nobis Paruissus vterque,
Sic nunc Iuellus & meus:
Sic te miratur doctorum turba virorum,
Amore vt inflammer tui.
Quarè me adscribas numero vir magne tuorum,
Et ista consulas boni.

Ad D. Henricum Polstedum Gilfordiensem, conterraneum suum.

INtegra perplexis iura inuoluunt labyrinthis
Iuridici quidam, sed sine iure tamen.
Impia sacratæ nectunt glossemata legi,
Ac inopes fraudant, decipiuntq; dolis.
Sed tu veridici non infima gloria Iuris,
O patriæ radians sydus & aura tuæ:
Hos inter minimè numeraris: nempe miselios
Et verbis, & re, consilioq; iuuas.
Difficiles legis nodos, sensusque profundos
Eruis, & caussas non nisi cautus agis.
Iudicio pensas, trutinaque expendis in æqua
Caussas siue graues vir probe, siue leues.
Denique prudenter tam te geris, atque modestè,
Omnes vt tollant nomen ad astra tuum.
Omnes te deamant Polstede, colunt, venerantur,
Te vulgus sacri numinis instar habet.
Macte animo: Summæ tibi sit plebecula curæ:
Et Summus reddet præmia Summa tibi.

Clarissimi viri D. Thomæ Viati Epit. An. 1542.

MVsarum venerandus ille mystes
Hoc sub marmore conditur Viatus.

Cuius flent obitum Minerua, Phœbus,
Flent castæ veneres, Amor pudicus,
Flent Pytho, Charites, nouem Sorores:
Et tu fleto Viator hunc Viatum.

Ad Rob. Huiccum, Thomam Huissum, Barth. Traheronem, Ioannem Adamum, & Ioannem Estwicum.

AH dolet, ah nimium dolet, ô mihi pectora chara,
Pectora penè meo pectore chara magis:
Officijs quòd vos paribus non æquiparare
Possim, quod dulcis poscit amicitia.
Non mihi deest animus, præstandi sola facultas
Deest: in me miserum sic Dea cæca furit.
Vester hic est animus, vester semperq; manebit,
Vos animum solum suscipitote meum.
Irus egens fortasis erit tibi fidus amicus,
Cum ditis Cræsi destituêris ope.

Ad Barth. Traheronem.

EX scriptis cognosco tuis te tandem aliquando
De Parkhursto aliquid discere velle tuo.
Hæc scribens subtristis eram, quòd nostra crumena,
Tinniret leuiter, cætera lætus eram,

Ad Alexandrum Nouellum.

MAgnus Alexander domuit (quod magnũ opus) orbẽ:
Barbariem ipse domas: hoc puto maius opus.

Ad Ric. Masterum.

NVncia fama meas nuper peruênit ad aures,
Delegisse tibi te thalami sociam.

Illa

Illa an Dorothea est Edmundi filia? certè est,
Si non sit vera rumor hic absque fide.
O felix nimium, nimiumq; beate Ricarde,
Vxorem asciscis qui tibi Dorotheam.
O felix nimium, nimiumq; beata puella,
Talem nacta virum, nempe probum iuuenem.
Nempe probum Iuuenem, doctum, comem, placidumq;,
Quo nil candidius credo, pium ve magis.
Felices, lætos, vobis velit ille Hymenæos,
Qui voluit nasci non sine coniugio.
Felices, lætos, vobis velit ille Hymenæos,
Miraclo hos voluit qui decorare nouo.
Viuite felices: numerosa prole parentes
Vos beet æternus, cunctipotensque Deus.
At rursum viuant meritò infeliciter illi,
Legitimos damnant, qui lacerantq; thoros.

Ad Ioannem Balæum, post promulgationem sex Articulorum in Anglia.

IN transmarinis quòd plagis
Versare inops, pauperculus,
Cum coniuge, & cum liberis,
Episcopum tyrannide
Iam sæuiente in Anglia,
Animo est ferendum æquo tibi:
Et fers, nisi hoc fortè excidit,
Nec excidisse sat scio:
Solum omne forti patria.

Ad D. Robertum Huiccum.

HIppocrates iuuenis nunc diceris esse: sed olim
Dicèris docto doctior Hippocrate.

Clariſſimi viri D. Thomæ Audlæi, nuper Angliæ Cancellarij ſummi, Epitaph. 1543.

AVdlæus decus Angliæ relucens,
Romanum ſapientia Catonem
Aequans, peneq́, dixeram, antecellens,
Quo nullum peperêre noſtra ſecla
Aut iuſtum magis, aut magis politum,
Iſta conditur & quieſcit vrna.

De Tho. Robertſono, olim præceptore ſuo.

MVlti Grammaticen illuſtrauere libellis,
Ex quibus eſt ijſdem gloria parta viris.
Nemo Robertſono tamen hanc felicius vnquam
Tractauit, nemo dexteritate pari.
Hoc gaudere potes populoſa Britannia alumno:
Hunc licet inuideant cætera regna tibi.

In Pamphum deformiſſimum Therſiten.

MAtrem tuam pulcherrimam
Oportet eſſe fœminam.
In illa enim quicquid fuit,
Deforme, fœdum, putridum,
Id omne tecum vnà expulit.

In eundem Pamphum.

ESt Pampho facies tam candida, poſſit vt abſque
Larua, perſonam Dæmonis aptè agere.

Ad Ioannem Lelandum Antiquarium.

NOſtra habet inſignes Lelande Britannia vates,
Te magis inſignem non habet illa tamen:

Id

Id bene teſtantur præclara Poëmata nuper
Edita, que potuit compoſuiſſe Maro.
Perge vt cepiſti, ceptum nec deſere curſum,
Et patriam ſcriptis condecorato tuis.

In Cotylum ſacrificum.

CVr prodeam barbatulus,
Cur reÿciam longas togas,
Non raro quæris Cotyle.
Vrgere cum non deſinas,
Hæc te minimè cælauero.
Cauſſam ergo paucis accipe.
Vt diſſimilis ſiem tibi.

Ad amicum quendam cognomento Dominũ.

IN te cognomen Domini bene quadrat: iniquos
Nam premis adfectus, & dominaris eis.

Ad præclaros & optimæ ſpei pueros Robertum, Ambroſium, Ioannem, Guilfordum, Henricum iuuniorem, &c. Dudlæos fratres, Clariſſimi viri D. Ioan. Dudlæi prefecti maris filios.

BOnum vnicum ſcientia,
Malum vnicum eſt inſcitia.
Hæc Socratis ſententia eſt.
Hanc reÿcite, illam addiſcite.

Ad D. Henricum Dudlæum inter fratres natu maximum, qui circà obſidionẽ Boloniæ obijt. Scripſi Kayhouę. 1544.

CVm tot confidant præclaro in pectore dotes,
Nobilitas generis tanta ſit atque tui:

Ausus sum minimè te compellare (fatebor
Vera etenim) dextram nec tetigisse tuam.
Littera deposuit tamen omnem nostra pudorem,
Nec timet illa tuas en subijsse manus.
Hanc licet inuitis Musis & Apolline scriptam,
Non nisi perlectam dilacerare velis.
Quòd si te forsan capit admiratio, quare
Ausim vix notus scripta dedisse tibi:
Scito subesse aliquam, fucatā sed neque caussam,
Caussa hæc vera fuit (credito) verus amor.
Hic amor in nostro flagrabat pectore, postquàm
Perspexi dotes vir generose tuas.
Quas sum miratus iuuenili in pectore tantas,
Quas debes summi credere dona Dei.
Dona Dei sunt ingenium, prudentia, candor,
Integritas morum, cognitio, pietas.
Inclyta te exornant, & clarū stemmata reddunt:
Dotibus ast animi clarus es ipse magis.
Omnia præ Christo tibi sordent, vnica Christus
Est tibi meta, illum mens generosa sapit.
Occursatq; animo Christus, Christusq; recursat,
Christus nostra salus, nostraq; iustitia.
Exprimis hunc verbis, vita sed & exprimis illū,
Illius verbum crebrò legisq; sacrum.
Ingens nobilium decus ô persistito ceptis,
Viuet in æternos sic tua fama dies.
Hocq; meæ signum fidei rude carmen habeto,
Intereà meditor dum meliora, vale.

Ad D. Caluerlæum, Kayhoue.

Miraris quòd tanta hominum sit turba Papismo
Dedita? mirari desinito, hæc ratio est.

Ad

Ad ſcopulos qui conſenuere ſuperſtitionum,
Non poſſunt Chriſti ſubdere colla iugo.

Ad eundem Caluerlæum.

Soluere nulla poteſt intercapedo locorum
Noſtram neceſſitudinem.
Soluere nec potis eſt iniuria temporis vlla
Amoris huius vincula.
Soluere ſi quicquàm poterit, diſſoluar ego iſto
Corpore, vorent me & Tartara.
Hoc loquor ex animo: illud idem ſentis (niſi fallor)
Caluerlæe humaniſſime.

In Fabianum.

Lvmine me es toruo ſolitus Fabiane notare,
Vxorem aſpicio quando ego forte tuam.
Reges, Reginas licet aſpexiſſe potentes,
Vxoremq́ tuam non licet aſpicere?

Ad Candidum.

Dvxit egens Proclus Martham alto à ſanguine cretã?
Vxorem haud duxit Candide, duxit heram.

In quendam.

Tot cum faueas Gnatonibus,
Mirum nihil, ſi ſis Thraſo.

In Stephanum G.

Mortem non renuit Stephanus pro nomine Chriſti,
Hac olim Stephanus ſcandit ad aſtra via.
Noſter probra, crucem, plagas non ſuſtinet vllas:
Si quæris cauſam, delicis ſus homo eſt.

Act. 7.

Scripſi cum D. Barnes, Hieronymus & Garrettus Vulcano, imo Chriſto litarentur Londini. 1539.

Ausus sum minimè te compellare (fatebor
Vera etenim) dextram nec tetigisse tuam.
Littera deposuit tamen omnem nostra pudorem,
Nec timet illa tuas en subijsse manus.
Hanc licet inuitis Musis & Apolline scriptam,
Non nisi perlectam dilacerare velis.
Quòd si te forsan capit admiratio, quare
Ausim vix notus scripta dedisse tibi:
Scito subesse aliquam, fucatā sed neque caussam,
Caussa hæc vera fuit (credito) verus amor.
Hic amor in nostro flagrabat pectore, postquàm
Perspexi dotes vir generose tuas.
Quas sum miratus iuuenili in pectore tantas,
Quas debes summi credere dona Dei.
Dona Dei sunt ingenium, prudentia, candor,
Integritas morum, cognitio, pietas.
Inclyta te exornant, & clarū stemmata reddunt:
Dotibus ast animi clarus es ipse magis.
Omnia præ Christo tibi sordent, vnica Christus
Est tibi meta, illum mens generosa sapit.
Occursatq; animo Christus, Christusq; recursat,
Christus nostra salus, nostraq; iustitia.
Exprimis hunc verbis, vita sed & exprimis illū,
Illius verbum crebrò legisq; sacrum.
Ingens nobilium decus ô persistito ceptis,
Viuet in æternos sic tua fama dies.
Hocq; meæ signum fidei rude carmen habeto,
Intereà meditor dum meliora, vale.

Ad D. Caluerlæum, Kayhoue.

Miraris quòd tanta hominum sit turba Papismo
Dedita? mirari desinito, hæc ratio est.

Ad

Ad ſcopulos qui conſenuere ſuperſtitionum,
Non poſſunt Chriſti ſubdere colla iugo.

Ad eundem Caluerlæum.

Soluere nulla poteſt intercapedo locorum
Noſtram neceſsitudinem.
Soluere nec potis eſt iniuria temporis vlla
Amoris huius vincula.
Soluere ſi quicquàm poterit, diſſoluar ego iſto
Corpore, vorent me & Tartara.
Hoc loquor ex animo: illud idem ſentis (niſi fallor)
Caluerlæe humaniſsime.

In Fabianum.

Lumine me es toruo ſolitus Fabiane notare,
Vxorem aſpicio quando ego forte tuam.
Reges, Reginas licet aſpexiſſe potentes,
Vxoremq́ tuam non licet aſpicere?

Ad Candidum.

Duxit egens Proclus Martham alto à ſanguine cretã?
Vxorem haud duxit Candide, duxit heram.

In quendam.

Tot cum faueas Gnatonibus,
Mirum nihil, ſi ſis Thraſo.

In Stephanum G.

Mortem non renuit Stephanus pro nomine Chriſti,
Hac olim Stephanus ſcandit ad aſtra via.
Noſter probra, crucem, plagas non ſuſtinet vllas:
Si quæris cauſsam, delicioſus homo eſt.

Act. 7.

Scripſi cum D. Barnes, Hieronymus & Garrettus Vulcano, imo Chriſto litarentur Londini. 1539.

Ergò viro ſancto dignum Stephanus facit hic quid?
Hic Stephanus plures nempe facit Stephanos.

De Lydia.

LYdia ſeptem annos vixit cum coniuge: tanto
Lydia nec potuit tempore ferre vterum.
Lydia conſuluit Medicos, nec proficit hilum:
Conſuluit Boſſum, Lydia fit grauida.

In Boſſum.

QVod Medici nullo potuere labore, nec arte,
Hoc fermè nullo Boſſe labore facis.
Hoc tu Boſſe potes. Miracula talia patrant,
Vertice qui geſtant ſtigmata ſacra ſuo.

In quaſdam eximia forma puellas, niue luſitantes.

CVm niue ludatis, pura niue candidiores,
Diſcatis quid nix candida ſignificet.
Nix perit in veſtris manibus, penituſq; liqueſcit:
Tempore ſic paruo ſplendida forma perit.

In Boſſum.

BOſſe tribus linguis te iactas eſſe peritum,
Indoctum verbis vulgus habetq; fidem.
Linguarum ignari te dicunt eſſe trilinguem,
Cum ſit nulla ferè cognita lingua tibi.
Non hebræa quidem, non graia, nec ipſa latina:
Vix equidem nota eſt patria lingua tibi.
Sed tua lingua duplex cum ſit, cum ſit quoque triplex
Boſſe belinguis eris: Boſſe trilinguis eris.

In

In Stephanum G.

STephanus ſibi concreditum vorat gregem,
Et vult haberi Epiſcopus:
Tali ſed hoc non conuenit nomen viro,
Ergo vocabitur Lupus.

In eundem.

SOllicitè quæris, quem dicat te eſſe popellus:
Dicit te eſſe Lupum, dicit habere lupas.

Ad D. Iëſum Chriſtũ Precatio.

DVlcis Iëſu,
Cælica nutu
Regna gubernans,
Et reparator
Totius orbis,
Quem mala noxa
Prima parentum
Perdidit olim:
Accipe vota
Sancta precantis
Oro benignus.
Flamine ſacro
Corda tuorum
Conſolidentur:
Vt bene vitam
Vita manet dum
Ducere poſſint.

Diſcute tetras
Quæſo tenebras:
Lux & vbiq;
Luceat alma.
Pellito falſam,
Inſere veram
Relligionem.
Conſceleratum
Perde Papiſmum.
Tollito ſectas,
Seditiones.
Vnanimemq;
Redde popellum.
Annue votis
Dulcis Iëſu.

Ad Hallum.

DEns facit vt nulla poßis requiſcere nocte?
Linge bona lingua, mox erit Halle quies.

In malos Paſtores.

PAſtores ouibus Chriſtus dare pabula iußit,
Quas tam carè emit, ſanguine nempe ſuo.
Si me quo debes (ait) amplexaris amore,
Ne ceſſes agnos paſcere Petre meos.
Paſcere ſed noſtri paſtores vſque recuſant,
Se paſcunt, populum conficiuntq; fame.
Expilant populum, populum deglubere pergunt,
Non curant animas, ſed ſua lucra volunt.

Tales

Tales prædixti pastores Paule futuros,
Paule timens ouibus tanta pericla tuis.
Hos manet interitus: sed & hos deglutiet Orcus,
Pascere qui nolunt, pascere vel nequeunt.

In quosdam impios sacrificulos.

INordinatum in ordinem
Vestrũ cupitis me asciscier.
Cum vos sciam verbum Dei
Odisse peius vel cane:
Cum vos sciam bibaculos,
Sine fronte, refractarios,
Idololatras sordidos,
Et contumaces, inuidos,
Mutos canes, hypocritas,
Fastu proteruo turgidos,
Seruos veneris, adulteros,
(Pudet referre cætera)
Inter numerari vos pudet.

In quendam.

LAudas ipse malos, te laudant hiq; vicissim:
Muli scabunt se mutuò.

In Crispum.

MVlta peto, sed plura negas, nil das mihi Crispe:
Nil abs te ergo petam, vt nil mihi Crispe neges.

Ad D. Ricardum Bertæum, de duodecim armis spiritualis pugnæ, Monosticha.

QVam tanti facimus, breuis est & parua voluptas.
Hanc sequitur rodens vermis, tristis Metanœa.

Propter & hanc maiore bono priuamur inepti.
Conſcia nullius ſceleris tranquilla manet mens.
Vita hominis bulla eſt, & fumus, ſomnus & vmbra.
Improuiſa tuos pulſat Mors eccé penates.
Fortè erit & tempus, nequeas quo pœnituiſſe.
Sæpe hominiſq; tuam ſubeat præſtantia mentem.
Grato animo expendas tot, tantaq; dona Tonantis.
Paſſio, crux Chriſti recolatur, ſanguis & vnda.
Ante tuos oculos verſetur gloria cœli.
Facq; ſiet reputes quantus cruciatus Auerni.

Ad D. Robertum Huiccum.

SYncera ſtabiliq; fide mihi cognite ſemper,
O non parua animi portio Huicce mei:
Si quando à curis poteris euadere liber,
Vrgentes quas tu ſuſtinuiſſe ſoles:
Friuola noſtra legas Epigrammata fronte ſerena,
Quæ ſunt inculti Ludicra ſcripta modis.
Hæc commendo tuæ cenſuræ qualiacunq;:
Hæc volo iudicio ſtentq; cadantq; tuo.
Committam prælis, prælis ſi digna videntur:
Sin minus in putres conÿciam foricas.

In Arnoldum Med. Li.

NEc reticere potes, bene nec loquier: loquitando
Mille ſolœciſmos expuis: oro, tace.

In quendã non ignobilem hominem.

DOctrinam ineptam & hæreſin
Opinionum fomitem,
Cauſam omnium tumultuum,
Euangelium eſſe clamitas.

Epiſcopis

Epiſcopis bicornibus,
Raſis & vnctis das fidem,
Buccis malignis, inuidis,
Hæc vſque concrepantibus,
Hæc vſque blatterantibus,
At interim ipſe nil legis.
Mirum eſſe debet nemini.
Si cæcior talpa ſies:
Oculis alienis nam vides.

De venijs & Bullis Papiſticis.

NVgis fictitijs & Bullis Roma ſuperbit,
Nugas & Bullas vendere Roma ſolet.
Bullatas nugas, nugales improba Bullas
Non vereor venias dicere Roma tuas.
Nomina conueniunt rebus, cum vanius illis,
Nil ſit, cum nil ſit prorſus inutilius.
Aſt vt aquis Bullæ citò naſcuntur, pereuntq́:
Sic pereant Bullæ Roma ſuperba tuæ.

In Sabinam veſtalem, ſeu monialem.

DIc qua fronte potes Chriſtum tibi dicere ſponſum?
Cum Benedictini ſponſa ſies monachi.

Ad illuſtriſſimam Principem Catharinam, Caroli ducis Suffolciæ vxorem.

ÆTernum ſalue Princeps clariſſima, mentis
Dotibus, eximijs adnumeranda viris.
Toto fama tuæ virtutis ſpargitur orbe,
Splendida per varias illa volatq́ plagas.

Vix dici poterit, quantum tribuat tibi vulgus,
Quantum magnates, doctaq; turba virûm.
Nec tam ſuſpiciunt homines tua ſtemmata clara,
Inſignes dotes quàm Catharina tuas.
Cognita cui non eſt pietas tua, relligioq;?
Quis non ingenium tollit ad aſtra tuum?
Sancta & pura fides in pectore conditur alto,
Cui comes adiuncta eſt caſta pudicitia.
Diuinos ornat præclara modeſtia mores,
Faſtus habet nullum pectore diua locum.
Quodq; in nobilibus rarum eſt, affabilis ipſa es
Omnibus, æquè ad te diues inópſq; venit.
Hos in te mores qui non veneretur, ametq;,
Hunc ſtudioſi hominis nil habuiſſe putem.
At quid ineptus ego ornamenta recenſeo, Diuûm
Munera, quæ niueo pectore clauſa manent.
Non equidem ante tuas dignè cantauero laudes,
Quàm pontum ebiberit muſca puſilla vagum.
Non apta eſt humeris iſthæc prouincia noſtris,
Res magis altiloquo digna Marone fuit.
Ergo premo calamum: nunc ruſtica Muſa ſilebit,
Muſa breuî laudes non tacitura tuas.
Viue decus noſtrum, viue ô laus magna tuorum:
Carmina, quæq; damus, conſule quæſo boni.

Ad D. Carolum eiuſdem filium.

CArole tibi cum ſit tenella ætatula,
Tenella adeò, luſtrum vt minimè peregeris,
Senex tamen videre vultu & moribus,
Lingua & pijs confabulationibus.
Quum ſis itaque talis tenella ætatula,
Qualem fore putemus iuuenta florida?

Ad

Ad D. Whithedum.

AVdio te tantis agitari fluctibus, vt sit
Penè tua in tumidis mersa Phaselus aquis.
Ancora figatur: Deus hæc est ancora solus:
Te Deus hisce potest eripuisse malis.

Ad Brigidam Husæam non tam natalium claritudine quàm morum integritate conspicuam puellam.

NE me impudentem existimes,
Nostris quòd ausim versibus
Inconditis, agrestibus,
Tibi obstrepuisse Brigida.
Amor iubebat scribere,
Non impudicus, improbus,
Sed castus, ingenuus, pius.
In pectore hic amor meo
Flagrabat ardentissimè,
Postquàm tuas perspexeram
Dotes animi clarissimas.
Te ornant pietas & castitas,
Candor, pudor, modestia,
Prudentia, temperantia.
Dotes silebo corporis,
Quas largiter dedit Deus,
Cristas tibi nec tollunt tamen.
Optima valeto Brigida,
Me inter tuos q; adscribito.
Versus mei si vixerint,
Viues & ipsa Brigida.

In Bossum.

IVstificant opera inquit Bossus: sic sapit ille:
Contendit fidei non opus esse piæ.
Scortatur Bossus, vult hic & iustus haberi,
Tales iustificant talia nempè opera.

In Casianum Oenopolam.

NOn iterum Casiane tuas intrabo Tabernas:
Vappam non vinum vendere namq; soles.

In I. Draperum Ra.

AMultis diues vir crederis esse Drapere:
Gemmeus est nasus: Pauper an esse potes?

De Slampampero.

SLampamperus adire solet conuiuia lætus,
Et plus conuiuis deuorat ille tribus.
Ad nostras Slampamperus ne ventitet ædes:
Tales conuiuas non mea mensa capit.

Ad D. Thomam Wilsonum.

TV non excideras, sed es ima mente repostus,
Et debes scriptis nomen habere meis.
Namq; tui potero tum demum non memor esse,
Cum freta sistentur, cum dabit ignis aquas.

Ad Ioannem Estwicum.

QVid faciam quæris? venor. Quid? venor honores:
At frustrà: inuitis venor adhuc canibus.

In Pyllum auarum.

DIuitias cumulas, corradis & vndique multas,
Amplis hisce licet nec potes esse satur.

Diuitias

Diuitias tecum nullas portabis auare:
Has tanti pestes quid facis ergò miser?
Natus es omninò nudus, nudúsq; recedes:
Ac Phlegetontæas nudus adibis aquas.

De Dankio.

ESitat in cœna nil præter Dankius ouum:
Nemo illo cœnat vilius, aut breuius.

De Furno.

LYncea zelotypo (vt fertur) sunt lumina Furno:
Sæpius & vitreis vtitur hic oculis.
Quattuor huic cum sint oculi, possitq; videre
Tam bene, demiror quòd videt ille malè.
Huic mœcha est coniunx & adultera, nec videt ille:
Quàm bene Furne vides, tam malè Furne vides.

In Omphalum.

CVm sit vita tua impura, nephandaq;:
Cum tam flagitiosam pudeat nihil
Exegisse iuuentam, tamen omnibus
Optas sanctus haberi ac probus Omphale.
Sacrum Euangelium persequeris quidem,
Vulcanóq; pios tradere torrido
Non cessas, Stygio autore Satellite.
At vis sanctus haberi tamen Omphale.
Delectant variæ te meretriculæ,
Delectat minimè legitimus thorus,
Et quos non laceras morsibus improbis?
At vis sanctus haberi tamen Omphale.
Si non sanctior hac sit tua sanctitas,
Detrudèris ad imos Barathri lacus.

In queîs perpetuò manseris Omphale,
Tormentis varijs & cruciabere.
Sanctus tum esse voles, serò sed Omphale.

In Pontianum Citharædum.

QVî nos delectat cantus tuus, accipe paucis:
Nil damus vt cantes, vt taceas dabimus.

Ad illustrissimum Principem Edouardum Henrici Angliæ regis filium. Hæc scripta sunt superstite Henrico rege. 1545.

INclyte semidei proles Edouarde parentis,
O decus Anglorum, spes, honor, aura, salus:
Salue perpetùum, sequitor vestigia patris,
Sic fies secli gloria prima tui.
Ore refers patrem, patrem virtutibus æqua,
Nullâq; te videat degenerare dies.
Illius exemplo Ausonium contunde Tyrannũ,
Principibus pestis nam fuit ille viris.
Ritus sperne malos, quibus hic infecerat orbem,
Quos verbo summi prætulit ille Dei.
Puram promoueas, fictam preme relligionem,
Sit Christus mentis maxima cura tuæ.
Viue, vale ô Princeps clarissime, dum feret altas
Oceanus puppes, dumq; madebit hyems.
Christus te incolumem seruet nobísq; patriâq;,
Delicias nostras, deliciásq; patris.
Longæuumq; patrem cum serior auferet ætas,
Te velit in longos sceptra tenere dies.

In quendam monachum.

VEl minimam in nostro exoptabas carmine laudem:
Nullam equidem scribam: quid minus esse potest?

In

In Inuidum.

VIpeream vibras quid in omnes inuide linguam?
An neſcis quantum te manet exitium?
Terrifico miſerè Diues torquetur in igne,
Ardenti linguæ gutta negatur aquæ.
O nimis infelix, tales cum zoile flammas
Inter tartareos experiere greges:
Tunc nullam velles habuiſſe ô peſſime linguam:
Serò vocata venit tunc Metanœa tibi.

Ad clariſſimum virum D. Parrum Marchionem Northamptonenſem, fratrem Reginæ Catharinæ.

OBlectant alios proauorum ſtemmata tantum,
Et tituli, & vanum veteri de ſanguine nomen.
Scilicet a propria laude & virtute relictus
Infelix animus de nomine pendet auito.
At non tam tenui virtus tua tramite famam
Quærit, non oculos hominum, non ora moratur.
Nanq; aliena tibi probitas, clariſſime Princeps,
Nomen & ornamentum alienum vile videtur,
Sis quàmuis ſummis ſatrapis maioribus ortus.
Artes ingenuæ, promptæ facundia linguæ,
Relligio, pietas, animúſq; in rebus agendis
Acer, & excelſo regnans in pectore virtus:
Scilicet hæc tua ſunt, Decus immortale tuorum,
Immenſóq; tuæ mentis de lumine manant,
Non à prolixa proauorum ſtirpe trahuntur.
Hac magni ratione viri, Numa, Romulus, Ancus,
Hoſtilius populo meriti ſunt iudice Cœlum.
Sic tua ſic virtus titulos & nomina ſpargit,
Sic ipſos fama ſuperos & ſydera pulſat.

D. Caroli Brandoni nuper illustrissimi Suffolciæ Ducis, Domini mei clementissimi, Epitaph. 1544.

Carolus exigua iacet hac Brandonus in vrna,
Heroum splendor, gloria prima Ducum.
Quem flent magnates, quem flet promiscua turba,
Quem luget madidis Anglia mæsta genis.
Integritas cum quo sunt nobilitasq; sepultæ:
O quantas gazas contegis vrna breuis.

Aliud eiusdem Herois Epitaph.

Carole te strauit Mors, quem Mars ipse nequibat:
Est magnum Mortis scilicet imperium.

In Bossum.

Sacrifici debent castrari, hoc semper in ore est
Bosse tibi, hoc dicis mandare volumina sacra.
Si te castrasses, si testes execuisses,
Non tam multa Venus tibi pignora Bose dedisset.

In quendam.

Sæpius admoneo: non audis: si modò pergis,
Crimina depingent carmina nostra tua.

De Atto.

Vir bonus Attus erit, si contemplabere vultum:
Cætera si spectes, vir malus Attus erit.

Ad D. Huissum, de Symphoriano tonsore.

Si rogites mento cur sint hæc stigmata nostro,
Cur sit tam fœdè dilacerata cutis:

Vulnificis

Vulnificis atrox non fecerat vnguibus vxor,
(Quam certè inuidit sors inimica mihi.)
Dura manus rigidi sed fecit Symphoriani,
Autor eras sceleris tu quoq; culter hebes.
Qui dormire cupit sana cute, Symphorianum
Seu pestem fugiat: barba comans maneat.
Valde Hirci sapiunt, qui nolunt ponere barbas:
Fortè timent cultrum Symphoriane tuum.

In sacrosancti nominis Dei blasphematores.

TErrenos audet nemo contemnere Reges,
Et Regem Regum temnitis ô miseri?
Audet nec quisquàm verbis lacerare Tyrannos,
Nec pudet æternum sic lacerare Deum?
Hi solum corpus, non mentem perdere possunt,
Ad Styga vtrumq; potest præcipitare Deus.

Ad D. Gualterum Buclerum.

TAnto indigna viro vilissima munera mitto,
Qualia sed patitur mittere cæca Dea.
Non mihi sunt gemmæ, quibus India diues abundat,
Auro nec fuluo nostra crumena tumet.
Nil habeo argenti Codro mendicior ipso,
Ast solas habeo carmina pauper opes.
Hæc rogo consulito Buclere equiq; boniq;,
Sint quamùis meritis inferiora tuis.
Nempe bonam in partem non raro munera parua
Accipit Altisonans, consulit atque boni.
Scilicet inspectans animum donantis. Abundè
Gratus is est, qui dat maxima, quæ poterit.

Ad D. Georgium Ouinum.

DEnt alij annellos, gemmas, dent aurea pocla,
Istis & si quæ sint preciosa magis.

Talia non opis est nostræ dare munera certè,
Improba fortuna est tanta nouerca mihi.
Carmina pro strena vir præclarissime dono:
Hæc spero haud parui muneris instar erunt.
Candida clauigeri sit prima diecula Iani,
Anni quæq; dies luceat alma tibi.
Fatiloquæ superes longissima secla Sybillæ,
Supremum terris dicito serò vale.

Ad illustrissimam Principem D. Elizabetham Edouardi Regis sororem. 1547.

EX colloquijs herî tuis
Pereruditis & pijs,
Collegi ego facillimè,
Tua celsitudo in litteris
Quòd non modò pedem monerit,
(Magnum est & hoc in fœmina)
Sed plurimum promouerit.
Doctrinam in ipsum laudibus
Cœlum extulere plurimi
Sacræ Mineruæ milites.
Dictis eorum oracula
Non veriora Apollinis.
Namq; ipse sum certissimus
Testis, superare te omnium
Laudes parasangis plurimis.
Mirarier facundiam
Nequeo satis: Facundiæ
Iunguntur & modestia,
Potens fides, integritas,

Morum-

Morumq; mira ſuauitas,
Prudentia, ſapientia,
Candor grauis, ſanctus pudor,
Et intemerata caſtitas.
Sacras taceo quòd litteras
Habes tibi notiſſimas.
Linguam taceo quod Gallicam
Probè ſones & Italam.
Taceo quòd & Græcanica
Sit lingua ad vnguem cognita.
Felix ſies clariſſima
Princeps: Deiq; munera
Hæc tam ſtupenda agnoſcito.
Sic ſic deinde pergito.
Sic clariorem patriam
(Claram ſatis) reddes tuam.
Extemporanea hæc mea
Æqui boniq; conſule.

De D. Gulielmo Cæcilio.

SI ſint in quoquàm pietas, doctrina, ſuada:
Hæc in Cæcilio ſunt ſociata meo.

De Roberto, Thoma & Gulielmo Huiccis fratribus.

QVot numeras Charites, totidem numerabis Huiccos?
Doctrina ô quales ingenioq; viros.

In venias Papiſticas.

ROmanus venias vendit Epiſcopus:
Has quòd ſi venias dixero nænias,
O quid Romuleus dicet Epiſcopus.

Ad sacrificulos.

QVid dubitatis adhuc vxores ducere castas?
Res bona coniugium, res mala adulterium.

Ad inclytam Academiam Oxonienſem & eius alumnos.

OXonium ô nimium felix, tua ſi bona noris,
Splendida dona Deûm.
In te namq́ habitant Pallas, Charites & Apollo,
Pierideſq́ nouem.
O iuuenes ſtudijs alacres incumbite ſanctis:
Mobile tempus abit.
Mobile tempus abit, certè eſt Occaſio calua:
Prendite dum liceat.

Ad amicos Oxonienſes.

NOs licet abiungant tanta interualla locorum,
Nec licet vt quondam colloquijs fruier:
Vos tamen his oculis, vos hoc circumfero corde,
Vos mihi præſentes nocte, dieq́ velim.
Ad coruos abeat, pereatq́ immitis egeſtas,
Quæ pergit nos tam diſſociare diu.
Interea chari, fidiq́ valete ſodales,
Et vos ſicut amo, me redamate precor.
Vtq́ breui poſſim vos viſere, ſancta precabor
Numina: Quando erit hic ô bone Chriſte dies?

Ad D. Gulielmum Buttum.

Butt Angl. ſignificat metum.

NAe tu Butte Deo debes gratiſſimus eſſe,
Solus nam Chriſtus meta ſcopuſq́ tibi eſt.
Huc ſpectas ſolum, huc conatus dirigis omnes,
Hic det Butte tibi proſpera cuncta, vale.

Ad

Ad Candidum.

COccius occubuit : quo morbo Candide quaeris?
Merdoso morbo Coccius occubuit.

Ad quendam non indoctum pastorem, sed meticulosum.

CVm multos superes dotibus ingeni,
Cum tanq̃ digitos verba scias dei,
Cur Christi pecudes tot tibi creditas
Non pascis, iubeat pascere cum Deus.
An quòd non placeas omnibus? ipsam acu
Rem tango : hoc etenim est ore tuo frequens.
O demens animo cur sedet hoc tuo?
Nulli omnino placet, qui placet omnibus.

Ad D. Robertum Dymmocum Discipulum suum.

DIscito litterulas, pietatem discito primùm:
Maius litterulis est pietatis opus.

De Bunno & Polla.

VXorem non vis Pollam, nec Polla maritum
Te vult : Bunne sapis : nec minus illa sapit.

Ad Robertum Wisdomum.

DIcere non possum, cur non habeam modò nummos:
Hoc tantum possum dicere, non habeo.

D. Gulielmum Buttus illustrium medicorum choro adnumerandus.

BVttum si nobis ætas antiqua tulisset,
Inter præcipuos posset habere locum.

Sed quamuis medicis ſit noſtra malignior ætas,
Ille mihi Hippocrates, ille Galenus erit.

Ad Fabianum.

PArkhurſti parcam ſi non vis ſpernere cœnam:
En tibi ventoſas ô Fabiane fabas.

Ad D. Graium Marchionem Dorceſtrenſem, virum nobiliſſimum, poſteà autem Ducem Suffolciæ.

QVamuis & genus & pietas, & plurima virtus,
Nominis æternos in te cumularit honores,
Non extrema tamen laus eſt, clariſſime Princeps,
Ingenijs doctorum hominum, cæptiſq; fauere,
Et ſtudijs iuuenum creſcentibus addere vires.
Quid memorem quanta Wilocus, Skynnerus & Haddon,
Ælmerúſq; tuos ornarint luce penates.
O Deus, ô quales iuuenes? quo principe digni?
His tua luminibus ſplendet domus, omnis ab iſtis
Anglia luminibus melius ſuccenſa relucet.

Ad inclytam puellam Ianam Graiam eiuſdem Herois filiam.

MIrari veteres deſino Lælias,
Sapphos, Aſpaſias, atque Learchidas.
Illa omnis veterum gratia pectorum
Nunc vno incipit in pectore creſcere.
Nil vnquam cecinit carmen amœnius,
Nil Graia loquitur voce ſuauius,
Romano ſonat aut ore diſertius.
Perge hoc ingenio, perge puellula.
O digna & Satrapa & Cæſare coniuge,
Digna iſthoc animo, digna parentibus.

De eadem Iana Graia.

Miraris Ianam Graio sermone valere?
Quo nata est primùm tempore, Graia fuit.

Ad Dauidem Whithedum.

CVm toties te
O caput album
Prouoco scriptis:
Cur venit ist hinc
Littera nulla?
An tua torpet
Frigore dextra?
Vènit at æstas
Sole superba
Frigora pellens.
Ni nimis esses
Desidiosus,
Tempore tanto
Paucula quamuis
Scripta dedisses.
O nimis alto
Obrute somno.
O mage mute
Piscibus ipsis.
O taciturna
Rana Seriphi.

Ad Carpum.

PLurima promittis, sed mittis nil mihi Carpe,
An me promissis viuere Carpe putas?

Non ego promiſsis ſed miſsis viuere poſſum:
Nil dein promittas, mittito Carpe aliquid.

In Coltum ſacrificulum.

CVm coràm multis das baſia Colte puellis:
Te cum nemo videt, quid rogo Colte facis?

Ad D. Caluerlæum.

PRobus vin' eſſe reipſa, & haud viderier?
Miſsati corum inſiſte ne veſtigijs.
Probus vin' eſſe reipſa, & haud viderier?
Diſsimilis omnino ſies Epiſcopis.

Ad pios Epiſcopos & ſacrificulos.

VItam ſacrificum minimè reprehendo piorum,
Impuros tantùm noſtra Thalia notat.
Ergo pij, quòd taxo malos, ne ægrè oro feratis:
O mores: veſtrûm quantulus eſt numerus?

In podagram.

FRuſtatim lacerent furiæ te dira Podagra,
Quæ nunquam ceſſas ſic lacerare meos.
Hos miſerè crucias, iunctiſsima pectora nobis,
Quos olim dulcis fecit & æquus amor.
Si volupe eſt homines adfligere, adito Tyrannos:
Hos fac tardigrados ſæua podagra viros.

De Leda.

MVltis amiſſum lachrymis flet Leda maritum:
An cæpas oculis admouet illa ſuis?

Ad Ioan. Eſtwicum & Ioannem Adamũ.

VAtibus antiquis ſi notus vterque fuiſſet
Veſtrum, non ſecus ac notus vterque mihi eſt:

Fama

Fama per immensum discurreret inclyta mundum,
Iunctaq. semideis nomina vestra forent.
Scilicet id virtus poscebat vestra, fidesq;,
Et qui tam stabilis pectore regnat amor.

Ad Thomam Barkerum.

Scire cupis doctos schola quos habet Oxoniensis,
Doctos Hebræa lingua, Græca atque Latina.
Nouisti Hokerum, Drummum, doctumq; Scheprenum?

Ad D. Gulielmum Forthum.

Olim in cœnobijs habitabant monstra Papistæ:
Nunc in cœnobijs habitant sed monstra Rapistæ.

In Chærilum.

Græcas putat se scire ad vnguem litteras
Chærilus: homo & vult dicier græcanicus.
Si Græcus ille est, qui solet græcarier,
Vir Græcus esse tunc potest & Chærilus.

De castitate.

Corpora casta placent superis: at meus nisi casta
Sit tua, mundicies non placet illa Deo.

Ad Deum opt. max. precatio.

O Deus ætherei solus moderator Olympi,
Climata qui terræ tam spatiosa regis:
Cui pârent homines, volucres, animantia quæque,
Quæ vel pontus habet, terra vel omni para:
Ad cuius nutum discurrunt astra, planetæ,
Quóq; iubente cadunt grando, pruina, niues:
Parce rogo miseris peccati mole grauatis,
Nec Stygius famulos opprimat Erro tuos.

Circuit hic auido quærens quem deuoret ore,
Vt ſolet hirſutas torua Leæna feras.
Nec ſolum Stygius nos oppugnare ſatelles
Nititur: oppugnat Mundus & ipſe furens.
At ne blanditijs, aſtu, nec fallere technis,
Incautos Mundum nos patiare ſuis.
In nos ſeditioſa Caro ſua tela retorquet,
Diuexat miſeros, nocte dieq; premit.
Improba ſpiritui ſiet hæc contraria quamuis,
Illius imperio pâreat iſta tamen.
Hac licet hoſtili circundamur vndique turma,
Fallaces nobis quæ ſtruant inſidias:
Auxilio tamen vſque tuo ſuperare licebit,
Auxiliatrices porrige quæſo manus.
Per te palma tuis, per te victoria detur,
Aut ſumus immani præda voranda lupo.
Noſtras ſi ſpectes vires, omnino perimus,
Si tu ſubuenias, vicimus alme Deus.

Eadem precatio in compendium redacta.

DA Deus vt ſubigam Carnem, da vincere Mundum,
Vt poſſim Stygium vincere, daq; Iouem.
Si mihi de tantis detur victoria monſtris,
Gloria nulla mea eſt, gloria tota tua eſt.

Ad Lectorem.

LVdicra ne ſpernas vt friuola nomina Lector:
Seria nam ducunt Ludicra fortè mea.

In Ochum ſenem libidinoſum.

CVm ſint effætæ vires, ſit & ægra ſenectus,
Cum te penè habeat cymba Charontis Oche:

Tu tamen obſcænis operam das rancide ſcortis,
Te quoq; non raro turpe lupanar habet.
O hominis monſtrum, ô portentum, ô putre cadauer,
Ad ſpeculum rugas, caniciemq; vide.
An decet iſta ſenes tam fœda libido? ſed heus tu,
Ecce fores pulſat Mors truculenta tuas.

Mors.

CErtius incerta nihil eſt mortalibus ipſa
Morte, ſed hanc nemo vult metuiſſe tamen.

De quibuſdam viris admodum præclaris.

SI qui ſunt Chriſti quos gloria tangit Iëſu,
Honor ſuiq; principis:
Hij ſunt eximij heroes Seymorus vterq;,
Vterque clarus Marchio.
Dudlæi, Haſtingi, Ruſſelli, Herbertus, Hauardi,
Ratclyffi, Clynton, Graÿ.
Roſſus, Wentworthi, Caræus, tuq; Cobhame,
Northus, Rychus, Montioius.
Baconus, Darcæus, Moryſinus, voſq; Knolæi,
Cæcillius, Cokus, Wrothus.
Sadlerus, Croſtus, Mildmæi, Smythus, Hobæi,
Chæcus, Wilſonus, Berteus.
Hos ô Chriſte velis ſancta defendere dextra,
Et quot cupiunt Regi bene.

De quibuſdam Epiſcopis vere Epiſcotis.

SI qui ſunt Chriſti quos vrit gloria Iëſu,
Honor ſuiq; Principis:
Hi ſunt Gardnerus, Sampſon, Tonſtallus, & illud
Monſtrum Bonerus ſordidum.

Hos ô Christe velis ad te conuertere tandem,
Tandem velis pel perdere.

De quibusdã præclaris & optimis Episcopis.

SI sint Pontifices, quos gloria tangit Iësu,
Honor suiq; Principis:
Hi sunt Cranmerus, Pouetus, Hoperus, & ipse
Milo, Harleus, Rydlæius.
Barlus, Gudrichus, Balæus, tuque Scoræe,
Godaker, Tayler, Ferrarius.
Hos ô Christe velis sancta defendere dextra,
Et quot fauent verbo tuo.

De Holo milite claudicante.

AD bellum claudus quarè cupit ire, rogo Holum?
Pugnare est animus non fugere Holus ait.

In G. Harrisonum Ludimagistrum B.

NOn fers Wisdomum inculcat quòd sæpè popello
σταυροφόρον Christum, quòd doceatq; fidem.
Ipse doces mandata hominum, mera somnia solum,
Harrisone in ludo discere nolo tuo.

In eundem.

HArrisone vsque sonas veterum decreta, patrésq;
Consulo disce prius, deinde sonato patres.

In eundem.

PAtres, patres, Episcopos
In concionibus sonas.
Patres, patres, Episcopos
Sonas & in conuiuijs.

In ænopolijs patres,
Et præter hos ſonas nihil.
His nitier columnulis
Et veritatem clamitas.
Diuerſa mî eſt ſententia.
Quicquid ſtatuêre Epiſcopi,
Elata gens, adultera,
Id omne ſuſpectum eſt mihi.

In eundem.

COlumnulas Eccleſiæ
Contendis eſſe Epiſcopos.
Domus columnis talibus
Suffulta, corruet breuî.

Ad Ioannem Gybonum.

HOc mihi ſi poſsis diſſolue ænigma Gybone,
Si doctè expedias, Oedipus alter eris.
Anglia bellipotens planè eſt ignara Luporum,
Et tamen eſt ſæuis Anglia plena Lupis.

In Weſtium.

Scin' quare excſos habeat ſanctos hymenæos
Weſtius? huic veneres plus placuere vagæ.

In Cumbrouſum.

VOx eſt φιλάνθρωποσ tibi non infrequens:
Factis Timonem ſed tuis quando exprimas,
Eris μισάνθρωποσ meritò ſanè mihi.

Georgij Parkhurſti patris ſui Epitaphium.

PArkhurſtus parua iacet hacce Georgius vrna,
Stamina cui triſtes diſſecuêre Deæ.

Non tamen hic totus cubat, at pars maxima terræ
Liquit, ad astriferas nunc abijtq3 domos.

In G. Alanum E.

CAnes amas, pascis, facísq3 plurimi:
At coniugem odisti, miseram conuicijs
Laceras, bacillis cædis, & calcas pede.
Molossus esse malo tibi, quàm vxor tua.

De D.D. Coxo, Coco, & Chæco Regiæ Magistatis in bonis litteris institutoribus.

INclyta ter felix est Anglia Rege Edouardo:
& ipse ter felix tribus didascalis.

De Gellia.

QVaris flauicomos habeat cur Gellia crines
Cum sit anus? crines hæc habet emptitios.

In Æmilianum.

DEsidiosus homo es, qui nil agis Æmiliane:
Si nil est quod agas, Æmiliane caces.

Ad Barth. Traheronem.

PLurima cum faciant te Bartholomæe beatum,
Doctrina, mores integri,
Ingenium & vegetum: tamen hoc superadditur illis:
Felix Iodoca es coniuge.

De Diogene.

DIogeni dixit quidam, quid vis tibi donem
Vt colaphum accipias? Da mihi ait, galeam.

In

In Fridolinum.

CAsta ſacerdotem decet, inquis, vita, ſed heus tu,
Filioli vnde tibi, filiolæq; rogo?

De Roberto Bertleto fingente ſe ſurdum, cum noctu quæreret hoſpitium.

AVreus à terris cum ſol flexiſſet habenas,
Cum lux diffugeret, nox & opaca foret:
Cum tempeſtatum Rex Æolus ire per orbem
Iuſſiſſet ventos, antraque deſerere:
Iuppiter & cœlo, pluuias cum mitteret alto,
Fulmina ceſſarent nec violenta diu:
Contigit ignotos Bertleto errare per agros,
Et longè a vicis oppiduliſq; fuit.
Incertuſq; viæ ſepuitur dum deuia, vidit
Per tenebras tenuem non procul eſſe caſam.
Palmas ad ſuperos alacris tendebat vtraſque,
Grates pro tanto munere Dïſſq; refert.
Accedit, pulſatq; fores, vocem gemibundam
Edit, opem implorans, hoſpitiumq; petens.
Si qua ſit hoc tecto probitatis fœmina cultrix,
Hæc, inquit, miſero præbeat hoſpitium.
Tum matrona domus Florentia nomine, poſtq;
Auribus hæc hauſit, talia verba refert:
Intempeſtiuè qui pulſas oſtia latro,
Non hac nocte ædes ingrediere meas.
Hic ſe fingebat ſurdum, grates habuitq;
Magnas, pro tenui quamlibet hoſpitio.
Eſt vacuus ne meo locus in ſtabulo vllus equo, inquit?
Hæc negat: in ſtabulum ducit at alter equum.
Et repetit ſemper grates, & blandula verba
Tantiſper miſcet, dum patet introitus.

Noctem illam totam fumantem ſtertit ad iguem,
Corporis & madidi membra ſopore fouet.
Cum iam liquiſſet fulgens aurora cubile,
Redderet & rutilum clarus Apollo diem:
E thalamo prodit celeri Florentia greſſu,
Arida nec ceſſat ſubdere ligna foco.
Bertletumq́ putans ſurdum, ſomnoq; grauatum,
Fortiter expreſſit rauciſonum crepitum.
Audito hoc, caput attollit Bertletus, & inquit,
An me compellas hoſpita? at illa refert:
Iam ſcio non paruam de me virtutem abiiſſe,
Auditum ſurdo namq; dedit crepitus.

In Auarum.

EST aſino ſimilis, qui obſonia portat auarus:
Nam minimè fruitur quas habet ipſe opibus.

Ad nobiliſſimum puerum D. Carolum Brandonum Caroli Ducis Suffolciæ filium.

GRatulor ex animo Iani rediiſſe calendas
Tibi proſperè & feliciter:
Faxit & is redeant tibi, qui regit omnia nutu,
In poſterum felicius.
Atque Sybillinos vt poſsis integer annos
Viuere, Pylioſq; vincere.
Splendida cum nequeam dare munera pauper, egenus,
Placuit dare hos verſus rudes.
Hos vultu capias placido, legitóq; benigno:
Loco ſientq; ſtrenulæ.

Ad eundem.

QVicquid meis in verſibus
Opto puer clariſsime

Tibi,

Tibi, id etiam prænobili
Optabo semper fœminæ,
Heræ meæ, matri tuæ.

Ad eundem.

Mittere nil præter chartacea munera possum:
Talia dant vates, talia dant inopes.

Ad eundem.

PRæsenti quæris quædem munuscula Iano?
χάλκια do pauper, χρύσια da locuples.

Ad Dauidem Whithedum.

Nominis vna tui est Album, Caput altera pars est:
Quadrant in mores scilicet ista tuos.
Candidius nihil esse potest nam moribus istis:
Dulce vocant omnes te lepidumq; caput.

Ad Nicolaum Vdallum.

Litterulas calles Graias, calleſq; latinas,
Doces & has feliciter.
Ingenium natura dedit tibi Vdalle facetum,
Velox acutum, viuidum.
Hasce tui dotes animi deamo, venerorq;,
Dotes Deorum munera.
Hæc faciunt quòd te tanto complectar amore,
Vdalle mellitissime.

In Bossum.

PLurima fert Bossus sudando, algendo, studendo:
Quis referat mala, quæ Boßus amando ferat?
Oscula fœmellis fert Bossus, suppetias fert:
Huius ope (vt fertur) Claudia fert vterum.

Noctem illam totam fumantem ſtertit ad iguem,
Corporis & madidi membra ſopore fouet.
Cum iam liquiſſet fulgens aurora cubile,
Redderet & rutilum clarus Apollo diem:
E thalamo prodit celeri Florentia greſſu,
Arida nec ceſſat ſubdere ligna foco.
Bertletumq́ putans ſurdum, ſomnoq́ grauatum,
Fortiter expreſſit rauciſonum crepitum.
Audito hoc, caput attollit Bertletus, & inquit,
An me compellas hoſpita? at illa refert:
Iam ſcio non paruam de me virtutem abiſſe,
Auditum ſurdo namq́ dedit crepitus.

In Auarum.

EST aſino ſimilis, qui obſonia portat auarus:
Nam minimè fruitur quas habet ipſe opibus.

Ad nobiliſſimum puerum D. Carolum Brandonum Caroli Ducis Suffolciæ filium.

GRatulor ex animo Iani rediſſe calendas
Tibi proſperè & feliciter:
Faxit & is redeant tibi, qui regit omnia nutu
In poſterum felicius.
Atque Sybillinos vt poſsis integer annos
Viuere, Pylioſq́ vincere.
Splendida cum nequeam dare munera pauper, egenus,
Placuit dare hos verſus rudes.
Hos vultu capias placido, legitóq́ benigno:
Loco ſientq́ ſtrenulæ.

Ad eundem.

QVicquid meis in verſibus
Opto puer clariſſime

Tibi,

Tibi, id etiam prænobili
Optabo semper fœminæ,
Heræ meæ, matri tuæ.

Ad eundem.

MIttere nil præter chartacea munera possum:
Talia dant vates, talia dant inopes.

Ad eundem.

PRæsenti quæris quædem munuscula Iano?
χάλκεα do pauper, χρύσεα da locuples.

Ad Dauidem Whithedum.

NOminis una tui est Album, Caput altera pars est:
Quadrant in mores scilicet ista tuos.
Candidius nihil esse potest nam moribus istis:
Dulce vocant omnes te lepidumq́, caput.

Ad Nicolaum Vdallum.

LItterulas calles Graias, callesq́, latinas,
Doces & has feliciter.
Ingenium natura dedit tibi Vdalle facetum,
Velox acutum, viuidum.
Hasce tui dotes animi deamo, venerórq́,
Dotes Deorum munera.
Hæc faciunt quòd te tanto complectar amore,
Vdalle mellitissime.

In Bossum.

PLurima fert Bossus sudando, algendo, studendo:
Quis referat mala, quæ Bossus amando ferat?
Oscula fœmellis fert Bossus, suppetias fert:
Huius ope (vt fertur) Claudia fert vterum.

In enndem.

PLurima fert Boſſus, nec fert tamen omnia Boſſus:
Sarcinulam Boſſi Claudia fert grauida.

Ad Anthoninm Gylbæum.

QVi valeam rogitas? totis tuſsire diebus
Qui nunquàm ceſsat, ſi valeat, valeo.

In Pamphum.

PAmphus non rarò modios mihi mille peroptat
Auri: vt non mihi ſit, ſed bene (credo) ſibi.

Vxor.

DOnum Dei eſt Vxor proba:
Dei flagellum Vxor mala.

In Gallos in vectem inſulam Britannicam irrumpere conantes. 1544.

BElla crepat Gallus, noſtras irrumpit in oras:
Nec venit vt pugnet, ſed venit vt fugiat.

Ad iunenes Oxonienſes & Cantabrigienſes, nunc in Germania & Gallia, propter Euangelium Ieſu Chriſti Exules.

VEſtra inſtar veris dum viuida floreat ætas,
Iuuenes mihi clariſsimi:
Inuigilate bonis noctesq́ diesq́ Camænis,
Peregat nihilq́ temporis.
Ver fugit, & celeri feruens pede præterit æſtas,
Manet nec Autumnus diu.
Inſtat triſtis hyems ſenÿ ſtudÿs inimica:
Quare ſtudete dum licet.

Vobis

Vobis dicatur vetus illa paræmia nunquàm,
Sapiunt nimis serò Phryges.

Ad Alexandrum Nowellum.

QVòd nos Christicolæ confundimus omnia bellis,
Quòd dura miseri pauperie premimur,
Nos sumus in caussa, quibus est peccare voluptas,
Et quòd negligimus verba sacrata Dei.

De Cælia & eius filio morti vicino.

MÆsta suum natum cum Cælia viseret ægrum,
Cuius pulsarat Mors inopina fores:
Cumq; animam mater natum exhalare timeret,
Hæc ait in lachrymas tota soluta graues:
O mi fili, vnum, prius hinc quàm vita recedat,
Fac quæso verbum dulce loquare mihi.
Filius at iam iam moriturus talia reddit:
Mel, Mel, mater ait, Mel, mea mater, ait.
Isq; statim moritur tam dulcia verba loquutus,
Elysios hilaris sicq; petebat agros.

De Editha pariente.

CVm puerum gaudens peperisset Editha recentem,
Matronæ asserent hunc similemq; patri:
Vertice rasuram anne habet, inquit Editha, rotundam?
Signans esse patrem sacrificum puero.

De Episcopo quodam & eius fatuo Philiberto.

INsigni Præsul fatuum complexus amore,
Passus erat lecto sæpe cubare suo.

Præsulis at neutrum clausit latus, inferiori
Parte tamen lecti, commodiusq; iacet.
Cum thalami sociam vestalem Præsul haberet,
Cum faceret, minimè quod decuisset eum:
E vigilans fatuus dum expandit brachia bina,
Sentijt in lecto quattuor esse pedes.
Cuius (ait) sunt oro pedes hi quattuor? Olli
Respondit Præsul, sunt Philiberte mei.
Tum properè surgit Philibertus, aditq; fenestrã,
Vocéq; stentorea clamat, adeste viri.
Monstrum quæso nouũ videatis, namq; bipes hic
Qui fuerat Præsul, factus is est quadrupes.

Ad Carpum.

AVricomos montes tantum non prodigus ore
Spondes, at venti sunt tua verba leues.
Quòdsi pollicitis steteris, nec paueris vltrà
Incassùm verbis, Crœsus ego alter ero.

In Claudiam.

VIrgo vis dicì, virgo vis Claudia haberi,
Dijs grata est virgo, Claudia semper ais.
Ergo tu minimè Dijs grata es Claudia: nam non
virgo es, cum virgo est filia nata tibi.

In eandem.

CLaudia virginitas tibi (vt est) res sancta videtur?
At tua non sancta est Claudia virginitas.
Nam quis te nescit grauidam dudum perperisse?
O tua quàm clauda est Claudia virginitas.

De quibuſdam viris doctiſſimis.

PLures Cæcilios, Cokos, Chæcos, & Huiccos
Si noſtra haberet Anglia:
Terra Pelaſga ſuos minus admirata Platones
Eſſet, minus Demoſthenes.

In Nodnolum ſacerdotem vetulum.

VNo eſt deprenſus Nodnol cum Loride lecto, London.
Quæ nullis non eſt fabula nota locis.
Ne tegeretq; quod eſt factum, res pluribus acta eſt
Teſtibus, & coràm cognita iudicibus.
O cæcos nos, ô ſtolidos qui credimus eſſe
Sacrificos caſtos, & ſine labe viros.

In fæminas.

FÆmina concinnat fraudes, eſt fallere docta,
Eſt inſtructa dolis, faſcinat atq; viros.
Fæmina luctiſonum miſeros nos trudit in orcum:
Stulti quur proprium quærimus exitium?

In Arnulphum Monachum.

CVr te non redamem petulce quæris
Non poſſum redamare παιδεραςάσ.

In Pollionem ſacr.

OPtimus à multis vir crederis eſſe: alienos
Cum fædes thalamos Pollio, vix bonus es.

Ad Symmingum & Philippum.

CRas vbi ſol radios diſperſerit vndiq; claros,
Nouaq; cum nitidum fecerit hora diem,

Huc vos nostra vocant conuiuia parca sodales,
Qualia non Cynico displicuisse queant.
Parca quidem nimium, vobis sed lauta futura,
Si placeant risus, scommata salsa, ioci.
Porrò vobiscum vestras nisi ducitis vmbras,
Vmbras vos certè non habuisse velim.

Gulielmi Huicci viri eruditi Epitaph.

AVsonia vrna tegit Gulielmi corpus Huicci:
Mens at in æthereis nunc manet alta plagis.

In tantum nomine pastores & Episcopos.

ET dici vultis, sed & estis spirituales:
Spiritus exagitat pectora vestra malus.

In Romam. Scripsit & Borbonius Epigramma in hanc sententiam, sed breuius, & alijs planè verbis.

QVæuis commoda habet regio sua: sic loca quæuis,
Quæ sita sunt inter solis vtranq; domum.
Auro Dalmatia, argento Ichnusa insula abundat,
Ægyptus palmas, æra Corinthus habet.
Persis aromata dat: gemmas, alabastra dat Indus:
Hybla fauis, Argos nobilitatur equis.
Est Libanus cedris clarus, mons Ida cupressis:
Ornat te fragrans pulcher Hymette thymus.
Ferrum dant Chalybes, lauros dat Olympus opacas:
Vellera dant Seres, pruna Damascus habet.
Horrida visendis iactat se Hispania mulis:
Præbet odoriferos inclyta Sparta canes.
Pergamus aulæis gaudet, sed & Ilua metallis:
Lanigeras pecudes Anglia diues habet.

Byssum

Byſſum Iudæi, dat thus Panchaia ſacrum:
Et meritò oſtentat vina Falernus ager.
Oſtrum clara Tyros, dat nobile Synada marmor:
Stamina dat Memphis, cynama pictus Arabs.
Sed dat Roma ſuas Meretrices, monſtra, Cynædos,
Dat Bullas, venias, prætereáq; nihil.

In Stephanullum.

VErtice cur tantam facis ô Stephanulle coronam?
Vita facit, non hæc tonſa corona pium.

Ad Robertũ Benboum virum muſicum.

ORgana cum digitis pulſas Benboue tenellis,
Cum dulcis roſeo manat ab ore ſonus:
Tum fugit ex animo quicquid me reddere mæſtũ
Conſueuit, vultus induo tumq; nouos.
Tum mihi cor geſtit, lætumq; ſalire videtur,
Inter & Angelicos me reor eſſe choros.
Orphea mellifluum mihi tu ſuperare videris,
Qui cantu mouit robora, ſaxa, feras.
Tu Linon Inachidem ſuperas, Phæbumq; ſonorũ,
Amphion præ te ſtridulus anſer erit.
Dij faxint vnà poſſimus viuere tandem,
Et tetricas curas pellere mente procul.
Intereà ſalue multo mihi charior auro,
Cui non omnis habet Muſica turba parem.

In Coltum ſacrificũ & Helenam puellam.

NOnne arſit Coltus, ſenſitq; Cupidinis arcum,
Pariete cum effracto eſt auſus adiſſe Helenam?
Cætera ſubticeo: nam turpia dicere turpe eſt,
Noſtráq; amat caſtam Muſa pudicitiam.

Ad Pyllum

ACcipe, debueram quicquid tibi Pylle peculi:
I nunc, ſiq; potes, me ſoluiſſe nega.

De ſe ipſo.

NOn ſatis eſt miſerum quòd me malè torquet egeſtas,
Accedat dentis ni dolor, & capitis?

Ad Ro. Ireanum.

VT mihi pergratus tuus eſt aduentus amice,
Diſceſſum doleo ſic Ireane tuum.

Ad Ioannem Gybonum.

DOcte Gybone meos inter numerande ſodales,
O non fucatæ cultor amicitiæ:
En Parkhurſtus adeſt, en veſtris appulit oris,
En mittit propria carmina ſcripta manu.
Quòd ſi fortè voles, poteris me hac nocte videre,
Cras nequeas vultus namq; videre meos.

Ad Ioan. Philippum, & Symmingum

SI licet atq; libet veterem viſiſſe ſodalem,
O mihi ſyncera pectora iuncta fide:
Hac ad me quæſo veniatis nocte, mora abſit:
Cras aliò nobis arripietur iter.

Ad Fauſtinum.

NIl bibo, ais: ſancte iuranti quis tibi credet?
Arida cum facias pocula, credo bibis.

Ad D. Tho. Wilſonum. de verbis Apoſtoli. 1. Tim. 3.

VNius vxoris vir debet Epiſcopus eſſe,
Illi coniugium debet & eſſe ſacrum.

Sed

Sed quid mitrati faciunt patrèſq; bicornes?
vxores nolunt, mollia ſcorta volunt.

De iiſdem Apoſtoli verbis.

VNius vxoris vir debet Epiſcopus eſſe,
Proditur vt ſcriptis Paule diſerte tuis.
Nullius vxoris vir debet Epiſcopus eſſe,
Sacrilegi paſſim quod docuere Papæ.
An non fit bellè, quòd peſſima turba cinædûm.
Decretis damnent dogmata ſancta ſuis.

In Ploſdenum.

PLoſdene ſi perrexeris,
(Cæpiſti vt hactenus) tuis
In iurgijs, in litibus,
Calumnijs immanibus,
Grunnitibus, conuicijs,
Et impijs latratibus:
Omnes tibi cedent viri,
Omneſq; cedent fæminæ,
Linguæ licet ijs ſunt peſſimæ.
In rebus his palmam auferes,
Vtroq; ſexu iudice.
Tu ſtrenùe ſic pergito,
Vide quid vſus poſſiet.

Lingua.

LIngua nil peius, lites quæ ſeminat atras:
Lingua nil melius, ſi moderere tamen.

In Calliodorum.

QVæris cur nequeas mihi Calliodore placere?
Ipſe tibi nimium Calliodore places.

In Ploſdenum.

Spurciſſimis vſque vtitur ſermonibus
Ploſdenus, hunc mirum iuuant & in modum.
Qualis vir eſt, talis ſolet eſſe oratio.

In quempiam.

Nil aliud tua lingua ſonat quàm cælica : vita
Nil aliud tua olet, quam Phlegetontiaca.

Ad Ioannem Bullocum.

AD cœnam inuitas Draperum, meq; : venire
Nolo, Drapero vix bona cœna ſat eſt.

De Heliodoro.

MEnſuras vini tres ebibit Heliodorus,
Soluere nec quicquam vellet hic œnophoro.
Oenophorus nummos poſcit, dare at ille recuſat:
Non habeo nummos Heliodorus ait.
Alter at inſtabat, nummos auidèq; popoſcit,
Adijciens rigidas crebrò truceſq; minas.
Nil numerabo ait hic, ſed vinum mox tibi reddam,
Nil vino accepto poſcere iure potes.
Oenophori in faciem vinum euomit Heliodorus:
Plena menſura vinum habet Oenophorus.

Ad Galbam peregrè agentem.

EX Patria diſcederes hinc cum tua,
Tantùm duos reliqueras hîc filios.
At cum redieris Galba habebis quattuor:
Duos puto tuos, duos & non tuos.

Ad

Ad illustrissimã Principem Catharinam Ducem Suffolciæ, heram suam, cum ageret in Ess.

O Hera, si nostros placeat cognoscere casus,
Infelix quantis discrucierq; malis:
Omnem carmina rem tibi paucula significabunt,
Carmina præcipiti non nisi scripta manu.
Putrificis me nunc terris traducere vitam
Scito, nec vlla salus est mihi in hisce plagis.
Hîc etenim grauibus succumbo doloribus æger:
Sæpius ad nostras Mors venit atra fores.
Pulsat, & ingreditur, ni fracto limine: Marte
Luctamur dubio, conserimúsq; manus.
In me lætiferum non raro mittere telum
Nititur, euito quòd miser arte tamen.
Mortem cogo fugam meditari sæpe volucrem:
Et fugit: at paulò post tamen ipsa redit.
Bella redintegrat consueta: cado, atque resurgo:
Vincitur, & vincit: mox quoque victa fugit.
Illius est opera factum mihi debile corpus:
Corpus vixq; pedes sustinuisse queunt.
Lumina nostra cauas capitis petière latebras:
Arida nudantur carnibus ossa suis.
Pallor habet vultum: Mortis vestigia labris
Apparent: fio Mortis imago miser.
Si rursum nostros adeat Mors dira penates,
Pugnas instaurans hostis acerba nouas:
Parkhurstus perijt: mânes numerabitur inter
Pallentes, vates sic perĩtq; tuus.
Me ergò ô Diua tui obseruantem respice alumnum,
Vt per te viuam, ne sine te peream.
Longius hîc nequeo vitæ producere fila:
Naturæ vsqueadeò hæc terra inimica meæ est.

Kayhouæ per te liceat mihi degere vitam:
Hæc ſedes Muſis eſt magis apta meis.
Hîc corpus nunquàm morbis vexabitur vllis,
Hoc bona perpetuô tam viget aura loco.
Reſpondere meis hîc ſi dignabere votis,
Si ſit & ad noſtras ianua aperta preces:
Immemor eſſe tui Princeps clariſſima nolo,
Donec in æquoreas Thamiſis ibit aquas.

Ad Deum opt. max.

IN tempore ni ſuccurreris mihi Deus,
Fiam malignis præda mox ſororibus.

Ad Ioannem Adamũ & Ioan. Eſtwicum.

VIx me agnoſcatis, ſi nunc videatis amici:
Hoc quo ſit factum quæritis anne modo?
Curis exhauſtus varijs, morbiſq; malignis,
Factus ſum quauis pallidior ſtatua.
Decolor exangue, & gelidum circumfero corpus:
Sola cutis miſero contegit oſſa mihi.
Sed mihi ſi liceat vos ſanos cernere: (Chriſtus
Quod velit altiſonans) tunc ego ſanus ero.

Ad Iëſum Chriſtum precatio.

IAm tandem redeant vires, ſanuſq; reſurgam,
Vel me ad ſydereas Chriſte vocato plagas.

Ad Barth. Traheronem.

CUm mens tabifico cruciatur mæſta dolore,
Difficile eſt hilari luxuriare gena.
Nuper id expertus ſum, factus nempe cadauer:
Parcarum duras vix repulig; manus.

Si

Si me nunc videas ô Bartholomæe, videre
Vix credo ſiccis luminibus poteris.

Nemini deſperandum in hac vita.

MVlta licet contra Dominum peccemus in horas,
Si reſipiſcamus, præſtò tamen venia eſt,
Vixit Matthæus raptor violentus, iniquus:
Saulus Chriſticolas perdidit atque pios.
Petrus Idumæus bis terue negabat Ieſum:
Cum natis Lotthus concubuitq; ſuis.
Occidi Vriam iuſſit Ieſſeïa proles,
Cui ſceleri ſcelus eſt additum adulterium.
Quos at pœnituit ſummum offendiſſe Tonantem,
His mox à ſummo noxa remiſſa Deo eſt.

Ad D. Ric. Maſterum.

DOctrina te clarum tua
Maſtere reddit optime:
Sed clariorem te tamen
Reddunt pietas, humanitas.

Ad Candidum.

VIuere vis tutus, non inſidiaſq; timere?
Prudens deuites Candide chreſtologos.

Ad Barbaram puellam.

BArbara te Gallus fert pectore, fert & ocellis,
Languet amore tui, pallet amore tui.
Te propter lachrymas fundit, ſuſpiria ducit,
Non cibus huic gratus, nullaq; grata quies.
Tu tamen, vt fama eſt, iuuenem contemnis amantem,
Nec ſinis vt pars ſit pectoris vlla tui.

Fœminei ſexus ô Barbara dedecus ingens,
Barbarior Gotthis Barbara barbaricis.

Pictus Truncus ad Peregrinũ.

QVid tibi vis, vel quid quæris dic ô peregrine,
Quæ tam longinquæ eſt (obſecro) cauſa viæ.
Anne Deum quæris? Diuûm an vis ſanctule quenquã?
Et Deus, & Diui regna beata colunt.
Iſte Dei cultus non eſt: Diui nec honorem
Expectant talem: Stulte redito domum.
Corporeis minimè pedibus Deus eſt adeundus:
Nec Diuûm quiſquàm ſic adeundus erat.
Nam pietate animi cultus non gratior vllus,
Solo Panomphæo mens pia grata Deo eſt.
Putridus ipſe ego ſum, pictus nil & niſi truncus:
Quarè ſum nûllo dignus honore coli.
Si Sanctos rectè peregrine velis venerari,
Illorum ſancta eſt vita imitanda tibi.

In ſuperſtitioſulos peregrinos.

INclyta viſentes Diuûm monumenta gregatim,
Reliquias patulo lambitis ore putres.
Lambitis interulas, caligas, perizomata, braccas,
Sudorem, ſputum, calceolos, ſoleas.
Lambitis & mappas muccoſas, oſſa, capillos,
Et ſi quicquàm iſtis fœdius eſſe poteſt.
O ſtupidi errones, quæ vos dementia cepit,
Vt res tam ſpurcas veſtra labella premant?
Oſcula ſi volupe eſt tam ſpurcis figere rebus,
Ite, & merdoſas lingite (quaſo) nates.

In Pyllum.

INhias tuis dum commodis,
Soles vocare ad cœnulas,

Tum

Tum Diuites, tum pauperes,
Incautiores blandulis,
(Fortaſsis & minacibus,)
Sæpiſsimè circumuenis
Verbis: Codros tu diuites,
Iros facis tu pauperes.
Solus diteſcis interim.
Qui Pylle tecum cænitant
O Pylle quanti cænitant.

In eundem.

MVlti multa ferunt tibi munera Pylle calendis
Iani, non quòd amant, ſed quia te metuunt.

Ad Amiculum quendam.

QVód linteo caput tuum circumligas,
Morbus (puto) haud cauſa eſt, colus ſed coniugis.

Ad eundem.

XAntippen habeas cum tibi coniugem,
Moroſam, tumidam, largiloquam, malam,
Pugnacem, rabidam, callidulam, trucem,
Dic obſecro mihi, dicq́ fide bona.
Sexus fæminei ſunt quoq́ Dæmones?

In Pontium.

ESt vxor iuuenis tibi, pulchra & fœmina caſta,
Caſta vt Penelope, pulchràq́ vt ipſa Helene.
Hac igitur ſpreta, quid ſcorta procacia quæris,
Annoſas & anus, turpiculas Hecubas?
O demens, Hecubas qui per loca multa requiris,
Cum ſiet in proprijs ædibus Andromache.

Cum diu abfuiſſem Oxonio, & illuc longo poſt tẽpore rediiſſem, viſis muſæis, Martonenſi & Magdalenenſi hæc inter eundum luſi ex tempore.

Ad Muſæum Martonenſe.

Facundis facunda viris domus inclyta ſalue:
Dij tibi pro meritis faueant, & digna rependant
Munera, Dijq; tuis aſpirent vſq; camenis.
Sydera fama quidem tua tranſilit, ipſa libènſq;
Semper poſteritas tua nomina cana loquetur.
Nam tu multiiugas docuiſti fauſtiter artes,
Quæ per te toto floreſcunt orbe Britanno
Philoſophos, Logicos, Geometras, Aſtrologòſq;,
Grammaticos, Oratores, lepidoſq; Poëtas,
Ciſmographos, Medicos Myſteria promere doctos
Enixa es, numero quos tum comprenderis vno.
Cum poteris conchas maris enumerare ſonantes.
Sed paucos numerare libet, quos viuere credo,
Mortéq; qui vitam commutauere, faceſſant.
Primus ſeſe offert Chamberus Apollinis arte
Conſpicuus, qui regi Henrico erat à medicinis.
Ex te præclarus medicus prodibat Quinus,
Cui commiſſa ſalus eſt regis noſtri Edouardi.
Ex te prodibat perquàm facundus Huiccus,
Doctus & hic medicus, lingua promptus, calàmóq;.
Ex te Buclerus prodibat, & ille trilinguis,
Quo nihil in toto quicquàm eſt humanius orbe.
Ex te prodibat Eſtwicus, & ille Bluettus,
Doctrina & clari Grimoaldus, Barnus, Huißus.
Prudens pretereo multos, qui vt lumina fulgent

Cælica

Cælica posteritas quos admirabitur olim.
Perge fauente Deo tales domus inclyta nobis
Eniti, sic floreſcet Brittanica tellus.
Nec me contemne indoctum pia mater alumnum,
Qui ſi quiſquàm alius, multo te amplexor amore,
Atque amplexabor, ſupera dum perfruar aura.

Ad Gymnaſium Magdalenenſe.

O Præclara domus Muſarum candida ſedes,
Per quam ſunt multis ſemina ſparſa locis.
Dulcia diuini nimirum ſemina verbi,
Quæ poſſunt homines ſola beare pios.
Saluete: ſeruet te Chriſtus, ſeruet alumnos,
Quos gremio nutris officioſa tuo.
Me quoq; nutrieras olim, cum paruulus eſſem,
Nunc factus iuuenis ſum memor vſq; tui.
Si mihi ſuppeterent vires, tibi grata referrem
Munera: cum nequeam, ſit voluiſſe ſatis.

Ad Idem Gymnaſium.

MVſæum ſalue, quo non præſtantius vllum
Æquore cincta poteſt terra Britanna dare.
Ingenio claros, pietate graues, ſtudioſos
Innumeros conſtat te peperiſſe viros.
Inter quos primus non immerito Ogleſthorpo
Eſſe locus debet, qui tibi iure præeſt.
Tale dignus eras domui Ogleſthorpe præeſſe:
Ipſa fuit tali Præſide digna domus.

Tum ſauebat bonis litteris & Euangelio, atque etiam promouebat. Sed poſteà. &c.

In Bracum.

ARtem quis neſcit didiciſſe Bracum numerandi?
Ille vtcunq; poteſt bis numerare decem.

In quendam ingratum.

Dic mihi per Musas, veterem cur spernis amicum,
Rebus in aduersis qui tibi eram Pylades.
Te colui, tua crimina celauiq; nephanda:
Pro meritis odium iámq; reporto meis.
Quod confertur in ingratum prorsus perit: olim
Cum tanti facerem te, indigni helleboro.

In eundem.

Semper te amabam plurimùm,
Semper colebam plurimùm,
Locuples vel ipse testis es
Huius rei, ingratissime.
Eras mihi fratris loco,
Eras & instar numinis.
De te meritum sed tam bene
Dignare vix nunc alloqui.
Ingratitudinis nec hoc
Tibi videtur este sat,
Noceas amico ni tui.
Immensæ opes iam sunt tibi,
Zonam sed ipse perdidi,
Mecum ferens mea omnia.
Hinc forsan illæ lachrymæ,
Hinc est, tibi quòd sordeo:
Hinc est, tibi quod licet, libet.
Frustrà sed hæc mecum queror,
Frustráq; surdo fabulam
Narro: sapiam pectthac magis.
Abs te tuiq; similibus,
Cauebo: qui nocent, docent.

Ad clarissimam puellam nomine Claram, illustrissimæ fœminæ Catharinæ Ducis Suffolciæ Ancillam.

Nomen habes dignum te præclarissima Clara:
Quod tibi vel meritò fata dedisse putem.
Namq; tibi ingenium clarum est, est claraq; vita,
Lumina clara tibi, clara tibi facies.
Clara tibi vox est, clara est oratio, clarum
Pectus: sic clarum est denique quicquid habes.
Tu cum sis igitur re, & nomine Clara, camænis
Clara magis fies splendida Clara meis.

Pauperculis parcændum.

Fvres exiguo lupiq; paruo
Parcatis pecori, huic nihil nocete:
Magnum, si libeat, gregem vorate.

Ad Thomam Caium.

Præcipitata meis digitis tibi littera missa est
Sæpius, à Caio littera nulla mihi.
Quid causæ est? quid suspicer? immemoremne putarem
Parkhursti Caium? me vel amare minus?
Absit vt id credam: nec tam mihi barbara mens est:
Vis verum dicam? desidiosus homo es.

In Puerum suum.

INsultare meis audes sic improbe iussis?
Quàm velles te non displicuisse mihi.

In Constantiam.

Soluitur in lachrymas cum vult, Constantia mœstas:
Soluitur in risus cum velit illa, leues.

Si non calleret tales Constantia technas,
Hanc posses inter connumerare viros.

Ad amicum quendã cui Papismus displicere ceperat.

QVanto titillor gaudio, haud expressero,
Ritus abhorres quod lubens papisticos.
Sed heus: Scin' in te quid ego adhuc desyderem?
Viros fuge istos consuetudinarios,
Qui Mumpsimus malunt suum, quàm Sunpsimus.

Ad D. Gulielmum Morum, in falsam huius temporis amicitiam.

PRistina amicitiam coluerunt tempora fidam,
Tantáq; tum virtus non sine honore fuit.
Illam sed quis nunc non vtilitate probarit?
Nulla lucri spes est? Cessat amicitia.

Ad Candidum.

Heringus quidã (latinè halec) conditionem illi satis opimam rara arte surripuit: quam paulò post satis caré, at non satis pié vendidit.

OMne genus pisces amo, bellè concoquo, verùm
Displicet vnum halec, Candide: nempe nocet.

Ad Pyllum.

AD cœnas vocitas me Pylle frequenter opimas:
His ego non capior: cœnito Pylle domi.

In Sacrificulum quempiam.

VIrtutem laudas, virtutem ad sydera tollis,
Ad cœlum hæc, inquis, sola recludit iter.
Hanc te sectari iactas Pharisæe superbé,
Te mundum á cunctis sordibus esse putas.
Suffœnus noli esse tibi, te haud peior in orbe est,
Te magis immundum mundus habétq; nihil.

Nempe

Nempe es periurus, mendax, hypocrita, auarus,
Inuidus, elatus, gloriolæ cupidus.
Immitis, bifrons, clandestinusq; susurro:
Cætera non dicam, dicere nempe pudet.
Dicere nempe pudet, quæ te fecisse pudet nil,
O digna æternis facta pudenda rogis.

De egregio potatore.

INcidit in febrem potator strenuus, ex qua,
Maiorem solito traxerat ille sitim.
Accersit medicos: qui cum febrem remouere
Atque sitim cupiunt, pharmaca multa parant.
Queis ægrotus ait: febrem tantum remouete,
Curandamq; mihi linquite quæso sitim.

In Ebrium.

QVi tot pocla meri tantillo tempore siccas:
Quid mirum si te vicerit ebrietas.

Ad Candidum.

CAndide tu ne NOVVM *donabis Æmiliano?*
Ne dederis: nam vult vrere, non legere.

De Flauia & marito.

PVlchrè comata est Flauia,
Vir eius at caluaster est,
Hunc depilauit Flauia.

In quosdam spirituales nescio quo spiritu inflatos.

MVlti vos sanctos, multi vos dicere Patres
Gaudent, & vobis nomina tanta placent.

Ast ego vos sanctos non possum dicere, Patres
Possum, cum natos vos genuisse sciam.

In impios quosdam Episcopos.

Quòd tantum vbique sanguinis
Fusum siet, verbum Dei
Tanto latuit quòd tempore,
Quòd nunc latet passim quoque,
Debemus hoc Apoſcopis,
Episcotis Episcopis.

De Paulo eius nominis secundo Pontifice Romano.

ANxia testiculos Pauli ne Roma requiras,
Filia huic nata est: hæc docet esse marem.

De Ioanne eius nominis octauo, Pontifice Romano, & de ritu creandorum Pontificum Romanorum.

Papissa.

Fœmina fraude noua sexum mentita virilem
Romæ, imò Europæ iura seuera dedit.
Hæc tandem à seruo compressa, dolore grauiq;
Circumuenta parit, vt peperit, periit.
Hoc vbi rescissent Carnales, Pontificesq;,
Nec possent tantum dissimulare scelus:
Cautum est, Pontifices post id ne Roma crearet,
Sint ni explorati testiculi ante probè.
Cur ergo antiquus nostro mos tempore cessat?
Cur non tractantur testiculiq; prius?
Nimirum frustrà id fieret, cum certius ante,
Esse hos testantur pignora, scorta, mares.

Parum interest inter Carnales & Cardinales, siue nomen siue rem spectes.

In

In Episcopos Romanenses.

Pontifices hominum Romani Piscatores
Et dici gaudent, præterea esse volunt.
Comprobat euentus nil quicquam hoc verius esse:
Natos piscantur retibus vsque suis.

De Innocentio octauo Pontifice Romano.

Marullus scripsit tale Distichon.

Bis quattuor Nocens genuit puellulos,
Totidem sed & Nocens genuit puellulas,
O Roma possis hunc meritò dicere patrem.

De Alexandro sexto Pontifice Romano, & de eius filia Lucretia. Tale quid scripsit Pontanus.

Non spado Alexander fuerat: Lucretia nempe
Illius coniunx, nata, nurúsq; fuit.

In eandem Lucretiam.

Quid tibi cum casto Lucretia nomine? nam tu
Altera Lais eras, altera Thais eras.

In impios Antichristos.

Conantur multi Christum depellere regno,
Hiq; loco Christi sceptra tenere volunt.
Plenis despumant buccis in relligionem,
Digni, quos spumans deuoret Oceanus.

In Pyllum diuitem.

Has tibi non gazas duri peperêre labores,
Verum inuita dedit turba misella tibi.

In Papam

Nil quoſdam præter ritus Papa tradit ineptos,
Hos præfert ſanctis legibus atque Dei.
Sic veluti lactens infans mandit Papa pappam:
Sic ſemper ſolidum reſpuit ille cibum.

Conqueſtio cuiuſdam non infimæ ſortis hominis, qui rem vniuerſam luxu & alea perdidit, verſibus a me reddita.

Omnes in me Dij coniurauere, Deæq́,
Sunt infeſta puto numina cuncta mihi.
Sol & Luna, Venus, Saturnus, Iuppiter & Mars,
Cæteráq; aſtra meam ſunt miditata necem.
Nullus erit finis curarum? nilq; dolores
Tollet? mæſticias diſcutietq; nihil?
Quid ſupereſt, niſi mors? erit hæc nam ſola leuamen:
Mors dabit his finem: Mors mihi grata veni.

Eiuſdem reſponſio ad amicum quendam bene conſulentem.

Serò Phryges ſapiunt, hoc de me dicere poſſum,
Et verè poſſum: ſerò Phryges ſapiunt.
Serò Phryges ſapiunt: & tu mihi conſilium das
Serò iamdudum eſt naufraga facta ratis.

In Pyllum.

Inopes tibi nudant caput,
Suoſq; curuant poplites,
Vultu colunt & geſtibus.
Cur id faciant dicam tibi?
Te Pylle timent, haud diligunt,

Ad

Ad D. Ioannem Halesium.

A Lachrymis se Heraclitus cohibere nequibat,
Tot sua cum vidit tempora plena malis.
Omnia Democritus contrà ridebat: at ipse
Nunc Heraclitum, nunc ago Democritum.

In garrulam & Papisticam quampiam fœminam, nomine Tace.

Quòd minimè parcant, Parcas dixere vetusti,
Quòd nunquam taceas tu quoq; dicta Tace,
Improba ni taceas, linguam stolidamq; refrenes,
Æs Dodonæum te vocitabo Tace.

In eandem.

Rixatur malè totum Tace per diem:
Nocte edit crepitus horrisonos, graues.
Sic nunquam reticet, continuè at strepit:
Garrit namq; die, nocte crepat Tace,

In furem quendam.

Pauper es ipse, tibi sunt & pauperculi amici,
Nulla domus, sunt & prædia nulla tibi.
Nemo te famulum vult, tu Dominum quoq; nullum:
Lassatur nullo bella labore manus.
Potas, obsonas, ludis, scortaris, & ornas
Magnificîs corpus vestibus ipse tuum.
Istæc quî facias, multi mirantur: ego nil,
Quando aliena sciam soluere marsupia.

Barbaræ venustissimæ puellæ Epitaphium.

Quæ cunctas forma superabat sola puellas
Barbara, quam ambibant innumerique proci,

Ista contumulatur humo deforme cadauer:
Tam turpis nunc est, quàm modo pulchra fuit.

Ad Deum opt. max.

DEsæuire sinas in me neque Dæmona, sed nec
Pontificem: ille animam, corpus at iste necat.

Aristippi dictum in pauperculum quempiam.

CLarus Aristippus quondam peruênit ad amplas
Diuitias, cæcæ munera grata Deæ.
Cui pauper: quæso vnde tibi tam multa? sed alter,
Atque vnde ô Pauper tam tibi pauca, rogo?

In Reginaldum Morum. T. L.

MVltis honorant, imò onerant me laudibus
Multi sapientes & boni.
Proscindit at conuicijs, probris meam
Famam Morus re, & nomine.
Colo sapientes, plurimi facio bonos,
Fatuos, malos teruncij.
Mori ergo stulti nil moror calumnias,
Rumpantur etsi ei ilia.
Est æqua laus ab optimis laudarier,
Et improbari ab improbis.
Quò magis hic exercet canis facundiam
In me, mihi hoc, placeo magis.

Ad D. Thomam Cranmerum Presulem Cantuariensem.

CAntiacus populus felix, nimiumq; beatus
Dicitur, vt cuius tradita cura tibi est.
Dij faxint vt grex pastori pâreat omnis:
Sic dignum summo fiet ouile Deo.

Ad

Ad eundem cum quidam Archipapistæ ante aliquot annos ei malum machinarentur, viuente Henrico octauo.

TVrba maligna tuis sanctis conatibus obstat,
Turba maligna quidem, turba pusilla tamen.
Aduersus sed tu fluctus audentior omnes
Ito, nec Christi desere iura tui.
Christus te forti Præsul sanctissime dextra
Proteget: inuidulos atque perire sinet.

Ad Barth. Traheronem.

INgenium, pietas, doctrina, modestia, candor,
Hæc sunt cur te oculis Bartholomæe feram.

Sine Dei prouidentia nihil quicquam ab hominibus geritur: quarè pij in aduersis forti animo esse debent. Hic Psalmus carmine a me est redditus iuxtà explanationem A. Flaminij. Psal. 11.

IN Domino spero, quarè suadetis amici — *Dauid.*
Montibus à vestris ceu volucris fugiam?
Quòd tibi perniciem clàm cernimus esse paratam, — *Amici.*
Legibus extinctis nulla salúsq; pijs.
At quid ego feci, aut dixi, quòd perfidus hostis — *Dauid.*
Insidias vitæ sic struat vsque meæ.
Quamuis immineant mihi tanta pericula, SVMMVS
Spes tamen est vitæ, præsidiumq; meæ.
Res hic humanas diuino lumine lustrat,
Puniat vt sontes, sublcuet vtque bonos.
Rebus hic aduersis sanctos explorat, vt aurum
Explorare micans assolet ignis edax.
Nec sinit opprimier iustos, sed fulmen & ignem,
Sulphur & in sontes depluet altisonans.

Hæc ſors pro meritis, hæc ijs iuſtiſſima merces
Debetur, iuſtos præmia pulchra manent.

De Vere.

OMnia vere nitent, rident, & prata vireſcunt,
Dulce canit dulcis nunc Philomela melos.
Triſtis hyems valeat cunctis inimica: ſubit ver,
Exhilarans iuuenes, exhilaranſq; ſenes.

In meretriculã quandã nomine Magdalenam.

PEccantis Mariæ ſequeris veſtigia, nempe
Proſtituis corpus ſicut & illa tuum.
Illam pœnituit ſic defœdaſſe iuuentam,
Illius exemplo panituiſſe potes.
Hanc imitere velim, ſic ſic penetrabis ad altas
Quas habitant Chriſtus, cælicolæq; domos.
Quòd niſi deſieris talem traducere vitam,
Ibis ad infernos non reditura lacus.

Diodori Blazii paulò ante mortem miſeræ lamentationes (cum puella, quam ambibat potiri non poſſet) verſibus à me redditæ.

AH miſer, ancipites verſas ſub pectore curas,
Tædet nunc aura veſcier ætherea.
Vitam abrumpe tuam: abſit. Quin age: Dij meliora:
Quid non tentat amor: Crux miſeranda amor eſt.

Altera eiuſdem lamentatio.

OMe infelicem, quem imbellis fœmina perdit:
Felicem, mortis ſi altera cauſa foret.
Fortiter in bello cecidiſſe hæc gloria demum eſt:
Turpe at fœmineis eſt cecidiſſe dolis.

In

In Lobbum.

VXorem non vis castam, nec viuere castè,
Lobbe negas sanctos posse placere thoros.
Sanctos amplexus horres cane petus & angui,
Ac si res planè tanta prophana foret.
Fortè prophana tibi posset res sancta videri,
Si sis, qui fueras, nempè cinædus eras.

In Nodosium Papicolam.

STatis diebus abstinet
A carnibus Nodosius.
Nullis diebus abstinet
A carnibus Nodosius.
Qua fit ratione quæritas?
Carnes abhorret mortuas,
Amplectitur sed viuidas.

De Diogene.

SOrdida Diogenes ingressus balnea, qui se
Hic lauat, ipse vbinam quæso lauatur, ait.

In Henricũ Iudam amicos suos prodentem, cum ederent carnes die vetito.

QVi tibi crudelis nomen donauit Iudæ,
Hic si quisquàm alius, iudice me sapuit.
Exili pretio Dominum prodebat Iudas:
Ob paucos nummos prodis & ipse tuos.

De D. Thoma Wilsono.

SI quisquàm est doctus, prudens, & fidus amicus,
Si quisquàm vegeto floreat ingenio:

Si quiſquàm comis ſermone eſt, arte politus,
Si quiſquàm ex animo Pallada vtramq; colat:
Si quiſquàm eſt virtutis amans, oſor vitiorum,
Hic Wilſonus erit, teſte vel inuidia.

In meretrices.

CVm videas ſcorto lachrymas ſtillare, caueto
Ipſe tibi: inſidias tum ſtruit atque dolos.

De quodam iuuene & ſene edentulo.

POtabant vnà, madidóq; caleſcere vino
Ceperunt iuuenis, decrepitúſq; ſenex.
Et cum caprina de lana diſſeruiſſent,
Vanaq; de nihilo rixa ſuborta foret:
Clamitat en iuuenis flammata percitus ira:
Merda incurue ſenex dentibus eſto tuis.
Reſpondit vetulus lepidè: eius dentibus eſto,
Qui dentes habeat: namq; ego non habeo.
Vtque fidem dictis faceret, iuueni gingiuas
Oſtendit, fuit hoc liſq; dirempta modo.

Senex edentulus lepidè dictũ retorſit in dentatum iuuenẽ.

Ad Lectorem alioquî delicatulũ, cui merdæ mentio mouere ſolet nauſeam.

SI verbis videar tibi ſordidioribus vſus,
Auribus aut ſi non ſint ea grata tuis:
Nauſea ſi ex noſtris oriatur fortè camænis,
Si ſtomachum cogant exonerare tuum:
Grates pro tanta referendæ ſunt medicina,
Hîc quam lector habes abſque pecuniola.
Quouis menſe ſemel ſtomachum vacuare ſalubre eſt:
Si ſit habenda fides docte Galene tibi.

In

In quendam illibetali facie Pumilionem.

Pygmæus genitor, tibi callida Simia mater,
Cæpus auus, proauus Cercopithecus erat.

In Plosdenum.

Non miror quòd lingua homines laceret tua viles,
Cum nequeat summis parcere cælicolis.

In Panthalum sutorem pauperculum.

Quòd leuibus plumis vtare, superbia magna est,
Aut hoc si non est Panthale, stultitia est.

In eundem.

Cur quæso leuibus gestis incedere plumis?
Vt qua flent venti noscere fortè queas?
Hæc si non causa est, plumis leuibus leuior tu,
Vt quarum leuitas te indicet esse leuem.

Ad Rupertum.

Tu coniugem ornas splendidè
Tuam: ipse nudus & lacer
Incedis: O stolidum caput.
Ipsam ratione si pari
Velis Ruperte pascere,
Genium interim fraudans tuum,
Fame interibis sordida.

In Bossum pastorem plusq̃ pessimum.

Vexat oues Bossi læthalis & improba pestis:
Has tamen hic non vult visere: quæ ratio est?
Vult sine peste mori: sed pestem dum fugit atram,
Ægrè fortassis effugiet laqueum.

De Laureola.

Quinq; viros stygium vridem transmisit ad orcum
Laureola: vxorem nolo ego Laureolam.

In Gossum iuuenem superbissimum.

E F.

Quid tollis cristas? ventosa superbia cælo
Ad nigra deiecit tartara Luciferum.

In eundem.

Næ tu præproperè nunc tollis cornua Gosse:
Coniuge sed ducta, tollere iure potes.

In Pygmenium.

Habes agros, villas, domos,
Nec iuris imperitus es.
Per fas nephasq; colligis,
Circumuenis multos dolis.
Prædonem agísq; (vt rumor est,)
Desunt tamen nummi tibi.
Id qui fit? aleator es.

Nuptias distulisse nonnunquam prodest.

Ducere ne properes iuuenis generose puellam,
Præproperè nubas tuq; puella caue.
Si sapitis, lentè sed festinabitis ambo:
Associant paruam commoda multa moram.

Ad amicum quendam de Cotylo sacrifico.

Quæris cur subigat vetulas, nolitq; puellas
Cotylus? hæ pariunt, non pariunt vetulæ.

In

In Hyberdinum ſenem delirum & inep-tum Concionatorem.

QVi præter nugas populo nil prædicat: an non
Præconem licet hunc dicere nugiloquum?

Nicolaij Partrigij Epitaphium.

HAc recubat parua Partrigius Anglus in vrna,
Quem Charites deflent, Pieridumq; chorus.
Omnibus hic, dum vixit, erat chariſſimus. at nunc
Perfruitur, cœlo, charior eſtq; Deo.

Fides.

SAnctæ debentur fidei cæleſtia regna:
O Deus inſpires hanc mihi quæſo fidem.

In Zoilum.

DÆmonis ad tetrum deſcendat Zoilus antrum:
Hunc lacerent Furiæ, Cerberus ore voret.
Imprecor at miſero quid pœnas, cui ſatis intus?
Dæmona circumfert pectore namq; ſuo.

Ad Gulielmũ Pium, cum ante aliquot annos pias quaſdam haberet conciones Oxonii.

CVm pia vita ſiet, pia cum doceaſq; popellum,
Iure vidêre mihi nomine, réq; pius.

Ad Ruffinã. Agit procum pro Pygmæo quodam amiculo ſuo.

NE floccifacias hominem Ruffina puſillum,
Vxorem qui te percupit eſſe ſibi.
Nam ſæpe exiguo magna eſt in corpore virtus:
Fortaſſisq; virum hunc experière thoro.

De quodam qui cantauit in funere matris.

Maternum funus ſtupidus cum proſequeretur
Natus, & audiret concinniſſe viros:
Incipit en ſubitò claram ſuſtollere vocem,
Et ſibi viſus erat dulce ſonare melos.
Quem pater (& meritò) caſtigans, haud decet, inquit,
Te canere hoc fili funere, flere decet.
Natus ad hæc: ô chare pater, vix te puto ſanum,
Me ſic cantantem qui reticere velis.
Hos conducis enim precio, qui funere cantent:
Non precio, gratis ſed cano ſolus ego.

Ad Corbilianum.

Ambibas lepidam mi Corbiliane puellam,
Qua cum dos eſſet ſat luculenta tibi.
Non magis hæc proprios quàm te, dilexit ocellos,
Mutuus & concors pectora iunxit amor.
Tempore cur igitur tanto differs hymenæos?
Dicito quæ cauſa eſt, Corbiliane mihi.

Corbiliani reſponſum quod ego verſibus qualibuſcunq; reddidi.

Ducere eam volui, nunc ducere nolo: rogas cur?
Fumoſas poſſum non ego ferre domos.
Ingreditur thalamos nulla Leæna meos.
Admittunt vafras non mea tecta Lupas.
Ferre nequit Muſas graculus Aonias.
Ducere eam volui, nunc ducere nolo: rogas cur?
Alterius laceras non amo relliquias.
Crede mihi, tritas induo raro togas.
Non fracta in tumido nauigo puppe mari.
E ruptis ſapiens quis bibit oro vitris?

Ducere

Ducere eam volui, nunc ducere nolo: rogas cur?
Hanc parui ducens ducere nolo. P. sapis.

In quosdam auaros Nobilistas. Carmen variè mixtum.

O Mores hominum, proceres quo degenerarunt
Multi? qui sunt pastores animarum, ouiumq;:
Has pascunt, illas non curant, præda lupis sunt.
Piscationibus student.
Dant mercibus operam, Molendinarij
Sunt, Carbonarij, Aucupes,
Coloni item, Lanij quoque,
Ferrarij, Lanarij,
Bubulci, & Vsurarij.
Sunt DOMINI serui turpis auaritiæ.
Quid ni? Bonus est odor lucri ex re qualibet.

Ad Chorlum amiculum auarum.

EXtortum quod das, quod non das Chorle libenter,
Hoc abs te accipio Chorle libenter ego.

Ad D. Ricardū Bertæum, de vulgi cæcitate.

PAstores imitata suos plebecula cæcos,
Errores præceps incidit in varios.
Nam pictos truncos, Diuos putat esse, Deasq;,
Et supplex truncos procidit ante putres.
Surdos sollicitat precibus, veneratur, adorat,
Offert & medio lumina clara die.
Clementemq; Deum fugit, & putat esse tyrannum,
Mancipat & Diuis spes malè sana suas.
Defraudat genium, sed non nisi tempore certo,
Et iuuat a certis abstinuisse cibis.

Sæpe sacros voluit globulos, & sæpe revoluit:
Absoluit certo sed preculas numero.
Istis se nugis credit placuisse Tonanti,
Æstimat hisce quidem nil magis esse pium.
Talibus (ô facinus) plebs dementatur ineptis
Quisquilys, tetras sic ruit in tenebras.
Rumpitur intereà liuore, odióq; calescit:
Euomit & virus subdola lingua suum.
Noctes atque dies potat, conuiuia luxu
Instruit immodico, deditur atque gulæ.
Fastus & ipse suum caput exerit, iraque fervet:
Luxuriæq; comes regnat vbique Venus.
Quem lacerare pudet sanctissima membra Tonantis?
Et quis non turpi seruit auaritiæ?
Quis struxisse dolos nolit? mendacia quis non
Fingit? At hæc vulgus crimina nulla putat.
Sic res non curat, vanas miratur at vmbras,
Æsopi Phrygij stultior hercle cane.
Vnde tot errores, cultúsq; superstitiosi?
Vnde perit veræ relligionis honos?
Vnde? nisi a sanctis, quos vulgus spirituales,
Spiritus at sanctis fertur inesse malus.
Hi sancti errores tales docuere nephandos,
Nec voluere Dei iussa tremenda loqui.
Quòd si qui studeant veteres abstergere abusus,
Hos dicunt ritus nolle probare pios
Hinc odij miseranda lues ebullit vbique,
Nullus & est vacuus seditione locus.
Quàm patiere diu vulgus mutabile sectas
Discindi in tantas, tam variasq; Deus?
Iam tandem alme Deus miseri miserere popelli,
Synaresis. Pastoréq; malos corrige, tuere bonos.

De

De Leone & Lysimacho.

Lambit placido ore herum Leo domitus suum,
Prouocat hic exemplo suóque quemlibet.
Cum ex multitudine nemo tanta prodeat,
En prosilit Lysimachus imperterritus.
Ego ausim (inquit) linguam Leonis tangere:
At facere nolo tam vicinis dentibus.

Ad Georgium Paruisum, de auaricia huius temporis inexplebili.

Ætas iure potest hæc aurea & impia dici:
Aurum quisque colit: Quis pietatis amans?

In Cotum.

Cotus amat Scoticas sine nec ratione puellas:
Cotus enim vulgò dicitur esse Scotus.

Ad D. Ioan. Hoperum, ex tempore, cum fama esset (tametsi non vera) eum aduenisse Gloceſtriam.

Gloria magna tuæ patriæ, laus, & decus ingens,
Nostra sæpe rudi fortè canende chely,
De facie licet ignoto tibi mitto salutem:
Nota tamen probitas est tua Hopere mihi.
Plurima turba tuas patulo nam predicat ore
Virtutes, summis laudibus atque vehit.
Doctrinam, ingenuos mores, laudat pietatem,
Ingenij dotes tollit ad astra tuas.
Et cum sis tantis instructus dotibus, ecquis
Te non miretur? Ecquis amare nequit?
Hæc certè me dona tui rapiunt in amorem,
Nec visum, videor teque videre tamen.

Et quia Hopere tuos nequeam modò adire penates,
Carmina sunt vultus missa videre tuos.
Carmina si placeant properanti lusa camœna,
Carmina fortè breui tempore & ipse sequar.
Et me si nolis primis adscribere amicis,
Inter at extremos sit mihi quæso locus.

Ad D. Niç. Throgmartonũ. In effigiem Fauoris.

QVis pictor tali pinxit ratione Fauorem?
Pictor (si nescis) Cous Apelles erat.
Hunc at cæca suis mulier quæ amplectitur vlnis?
Lubrica Fortuna est, hanc genuisse ferunt.
Quæ comes adsistit lateri? Assentatio blanda:
Quæ sequitur lentis passibus? Inuidia.
Sed qui circumstant? Sanè ambitiosa potestas
Leges, Fastus, Honor, Luxus, auara Venus.
Alas cur gestat volucres? Fortuna volare
Hunc facit, ac imos despicit vsque gradus.
Cur oculi cæci? veteres non nouit amicos,
Cum venit ex humili clarus ad alta loco.
Quid rotulæ insistit? stabilis nam tempore nullo
Permanet, at felix est modò, nuncq; miser.
Cur cristas tollit? cur sic sine fronte tumescit?
Obcæcant magnos fata secunda viros.

In Alphegũ, quem nimia ceruisiæ copia interemit.

HActenus Alphego protracta est vita bibendo:
Alphego facta est vita bibendo breuis.

Ad Agnetem puellam. Scripsit penè puer.

AGnes cum mecum ludis, mihi mollior agno es:
Ludere cum nolis, durior es chalybi.

Ad

Ad Corbilianum.

Quinq; minas abs te accepit (rogo) mutuò Eliſſus?
Ille truces reddet Corbiliane minas.

In Ardelionem.

Res agis alterius, nec agis tamen alterius res:
Reuera Ardelio res agis ipſe tuas.

In Pontianam puellam.

Nix admota igni perit, & nix deſinit eſſe,
Sic pereunt, flagrant quotquot amore tui.

De Diogene & caluo quodam.

Eiaculatus erat caluus conuicia multa
In Cynicum, diris impetijtq; probris.
Cui Cynicus: tecum contendere non iuuat vlla
Materia infami: nam maledicta nocent.
Verùm laudo tuos, quòd te liquêre, capillos,
Et quòd te glabram reddiderint pecudem.

In Cotum.

Cotus bella parat, Cotum fera vexat Erinnys,
Cotum ſi forſan dixeris eſſe Scotum.
Dici ſe Scotum patitur nec nomine, nec re:
Cotum ſi cotem dixeris, hercle peris.

Inuehitur in Fortunam.

Te ne ego cælicolas inter Fortuna reponam?
Té ne ego diuinum numen habere putem?
Té ne colam, cum me ceſſes adfligere nunquàm?
Cum pergas miſeris me cruciare modis?

Nullum numen habes, si sit prudentia, prudens
Vt cecinit Vates: Ludito nunc alios.
Sæuas namq; tuas sperno Fortuna procellas,
Nec tamen esse tuas credo, sed esse Dei.
Quos amat, hic punit, charos & sæpè flagellat:
Tollit quos misera conditione premit.
Aurificum facit ille Midam (quando libet) Irum:
An nescis vires hæc superare tuas?
Nil egisse potes, quod summus non iubet antè:
Arbitrio summi stásq; cadísq; Dei.
Esse Deum nullum qui credunt, te venerentur:
Anchora solus erit nam mihi sacra Deus.

D. Gulielmi Butti medici Epitaph.

ÆGrotos potui medicus qui reddere sanos,
Ipsum me sanum reddere non potui.
O ergo medici, cum venerit hora suprema,
Vos perimet rapida mors truculenta manu.
Hippocrates nullus, nullus tunc arte Machaon
Proderit: exangues pharmaca nulla iuuant.

Cuiusdam auari Epitaph.

PVtre cadauer in hoc fœtet tumulo, latitátq;:
Mentem habet ast locuples arca, viator abi.

In Idam.

CAstratos amat Ida viros: nota est mihi causa:
Scortum castrati natáq; patris erat.

In inuidum.

INuide quid latras? latranti si modo pergas,
Præbebit latrans Cerberus hospitium.

Hospitium

Hoſpitium quod non paucos durabit in annos:
Ah dabit æternum Cerberus hoſpitium.

Ad Thomam Beconum.

VIdi & perlegi doctos Becone libellos,
Quos tua non pridem ſancta Minerua dedit.
Diſpeream ſi quid legi vnquàm ſanctius, aut ſi
Quid potuit populo tradier vtilius.
Auſpice perge Deo tales vulgare libellos:
Vaniloquax ſed nec lingua timenda tibi eſt.
Sic Chriſtum poſſis auido inculcare popello,
Sic poſſis nomen condecorare tuum.

Ad Blagabridum.

ESt perditiſsimus tuus
Natus · Ratio in promptu eſt mihi.
Ouum malum Corui mali.

Ad vxorem Blagabridi.

DEum precaris optimum,
Vt filius ſit optimus
Tuus, modò pluſquàm peſſimus.
Non deſines precarier,
Donec ſat eſt factum tuis
Votis? igitur precabere
Semper: nam is erit nunquam bonus.

In Claudiam.

NVper erant nigri crines, nunc ſunt tibi flaui,
Cum Tinctore aliquo res fuit anne tibi?

In eandem.

BIna abs te poſcit me coràm baſia Boſſus,
Hæc propter offert nummulum vnum & alterum.

Me coràm non das, gratis clàm mille datura es:
Claudia nimis parca es, nimisq; prodiga es.

In Pratlerum.

Laudandos laceras, te indignum laudibus ornas:
Vino haud vendibili certè opus est hedera.

Ad Ioan. Philippum cum discessurus essem Oxonio.

Chare Philippe vale, felicior esto Philippo
Qui genuit Magnum, chare Philippe vale.
Chare Philippe vale, pietate imitare Philippum
Christo tam charum, chare Philippe vale.
Melanct. *Chare Philippe vale, doctrina æquare Philippum*
Dij faxint possis, chare Philippe vale.
Chare Philippe vale, valeant malè, prospera cuncta
Qui tibi non optent, chare Philippe vale.

Ad D. Gulielmum Morum, de malis pastoribus & populo suprà quàm dici potest desidioso.

Pulpita pastores rarò conscendere gaudent,
Curaq; pascendi non subit ulla gregis.
Pulpita fœdantur multo squalore, situq;:
Vt super hæc digitis scribere multa queas.
Biblica scripta legit torpescens rarò popellus,
Biblia plus iusto puluerulenta iacent.
Hoc sacris carmen poteris inscribere libris;
En dormitamus puluere nunc miseri.
Quales pastores, existimo oues fore tales:
Quales lactucæ, talia labra puto.

Ad

Ad Carpum.

PRomiſſis ſi ſtare velis (decet atque ſtetiſſe)
O ego quàm felix, quàmq; beatus ero?

In Vxores.

VXor grande malum eſt, ſi narrant vera mariti:
Vxor grande bonum, quælibet vxor ait.
Vxor grande bonum ſeu ſit, ſeu triſte venenum,
Res ad ſacrificos pertinet iſta nihil.
Res ad ſacrificos non pertinet iſta: ſed ecquur?
Poſſunt abſque ſuis viuere coniugibus. *Sed non abſq; alienis.*

De Skeltono vate & ſacerdote.

SKeltonus grauidam reddebat fortè puellam,
Inſigni forma quæ peperit puerum.
Illico multorum fama hæc peruênit ad aures,
Eſſe patrem nato ſacrificum puero.
Skeltonum facti non pœnitet, aut pudet: ædes
Ad ſacras feſto ſed venit ipſe die.
Pulpita conſcendit facturus verba popello:
Inq; hæc prorupit dicta vir ille bonus.
Quid vos ô ſcurræ capit admiratio tanta?
Non ſunt eunuchi, credite, ſacrifici.
O ſtolidi vitulum num me genuiſſe putatis?
Non genui vitulum ſed lepidum puerum.
Siq; meis verbis non creditis, en puer inquit,
Atque è ſuggeſto protulit, ac abÿit.

In Sergiam.

TE iuuenem iactas: tua ſed frons aſpera rugis
Oſtendit, quàm ſis Sergia turpis anus.

De Antonina.

DEportare ſinu ſolet Antonina catellum,
Quem pro delicijs hæc habet vſq; ſuis.
Quid ſiet in cauſſa quæris? cum ventilat illa,
Cum pedit, fatet: culpa catella tua eſt.

Ad Glaucippum.

AVlo propinas ſæpius,
Recuſat ille ſæpius.
Cur id faciat, dicam tibi?
Os eſt nimis paruum tui
Cyathi: patentius ſiet,
Naſus vel eius ſit minor,
Omnem tenes rem: ſic bibet.

Ad Ponticum.

AD cænam inuitas, ſed tum cum cæna peracta eſt:
Cænas nolo tuas Pontice, cæno domi.

In eundem.

PONticus inceptat multa, at pauciſſima finit:
Cum cænat, cænam finit at ipſe ſuam.

In Lentulum.

QVi rem cum ſcortis vult flagitioſas habere,
Hic rem facere nunquàm poteſt.
Talis cum fueris, quid mirum Lentule, ſi res
Ad manticam rediit tua.

In Dionyſiam anum.

IMpia fabellas narrat Dionyſia vanas:
Vellicat hæc homines, vellicat atque Deos.

Frinola

Friuola miratur, mera nugamenta putátq;
Mandatis ſanctis anteferenda Dei.
Sic anus iſta ſapit, furias ſic tendit ad imas,
Sic erit hæc furijs addita quarta tribus.

Ad amicum quendam.

QVidam placentas optimas
Dulci reſparſas Zaccharo
Mihi vorandas prabuit.
Aliquid comedi protinus.
Plus eſitare dum paro,
En cerno fortè araneum
Nigerrimum, fædiſſimum,
Inter placentas: proh ſcelus:
Glutiuerim an quicquàm illius
Sum neſcius: ſed hoc ſcio,
Lautos cibos, & pemmata
Quandoque habere triſtia,
Et condimenta noxia.

Ad eundem.

IPſus edat, mihi quiſquis edendam apponit arachnem:
Namq; ego tam lautis non capior dapibus.

Ad eundem.

FErcula delectare ſolent me ſola Britanna:
Sint procul à menſis Itala fercla meis.

Ad eundem.

AMice mi chariſſime,
Res eſt mihi iam cognita,
Factum quod eſt, incuria
Factum, ne dum de induſtria.

Nemo mihi mortalium
Innoxio vult tam malè
Credo, ne zoilus quidem.
Quamuis maligni Dæmonis
Technis ruimus ad omnia
Pluſq́ nephanda facinora.
Quòd fugerim periculum,
Malumq́ præſentaneum,
Eſt efferendus laudibus
Cœleſtis in cœlum Deus.

Ad Ioan. Cullierum.

ODit præcones verbi mutus canis Hennus:
Sacrificum hunc dicis tu tamen eſſe bonum.
Potat, venatur, ſcortatur, baſiat: eheu,
Fungitur officio ſic bonus ille ſuo?

In G. Harriſonum Lud. B.

CONtrà Euangelium cum latret, ganniat, an non
Dici iure poteſt obſonus Harriſonus?

Res Sancta coniugium.

INuentum Satanæ ſanctum violare cubile:
Altitonans caſtum ſed probat ipſe thorum.

In Gulielmum Goſſum Fabrum.

PArkerum non Parkhurſtum me ſtulte vocare
Goſſe ſoles: ſic te pro Goſſo dixero Gooſum,
Pro fabroq́ fabam, Gulielmo proq́ Guloſum.

In eundem.

EXpanſis pennis vt ſe Iunonius ales
Miratur: ſic tu Goſſe ſuperbe ſoles.

Amiſſa

Amissa cauda pudet hunc exire latebras:
Sic tibi dum nihil es, stulte placeto nihil.

In fæminã quampiam nomine Franciscam.

FRanciscæ barba est, hoc arbitror esse virile,
Huic vox stentorea est, illud habetq; viri.
Franciscа armigera est, hoc quis negat esse virile?
Debellatq; viros: idque virile puto.
Ergo Franciscam Franciscum dicere posthac
Quid quæso prohibet? Fæmina nempe vir est.

In Caluum.

AMbis non paucas, sed frustrà Calue puellas:
Te spernunt, scin' cur? diceris esse spado.

Ad Ioan. Adamũ cum agerem in Essexia.

QVi totus tuus est, Parkhurstus Adame salutem
Ex animo tibi perpetuam vult.
Quòd si scire cupis, cupere autem te scio, quid nos
Hîc agimus modò, quîue valemus,
Accipito paucis: Studijs incumbimus acres:
Gratia sit superíq; valemus.
Nobis nuper erat pituita molesta, vocatus
Officium somnusq; negabat.
Nostra erat astricta aluus, nunc tamen illa soluta est,
Somnus adest, pituita recessit.
Has demum terras iuuat inuisisse, habitasse:
At tu cætera conÿce tecum.

Ad Ioan. Pekinum.

O Terra, ô superi, qualis nunc Lerna malorum
Totum ferè occupauit orbem ferreum.

Nauigeri conchas pelagi numeraueris antè,
Quàm quot scelera regnant in orbe turpia.
Istæc vnde lues? vnde hæc sentina malorum?
Causa haud latet: verbū Dei contemnitur.

In Glaurum sacrificum vetulum.

AFfectus senio est Glaurus, naulumq; Charonti
Præparat, at Glauro pulchra puella domi est.

Ad Hermannum Mennum.

PAuper eram, pauper sum, pauper ero (puto) semper:
Causam commonstrat Menne pŏta tibi.
Semper eris pauper, si pauper es Æmiliane:
Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus.

In Smythium.

NOstin' sacrificos cur non vult esse maritos
Smythius? hic castos non amat hercle thoros.

De D. Ioan. Hopero, Episcopo Gloceſtrensi.

SAcrosancta Dei si quis mysteria purè
Explicat, is vel me iudice Hoperus erit.

Ad Ioannem Abelum.

CVm perpetuò me amaueris
Abele mi chariſsime,
Ardenter ames me nunc quoque,
Ingratus essem & inuidus,
Si nomen in meis tuum
Non scriberetur versibus.

Vita hominis breuis. Monostichon.

FVmus homo, & bulla est, stupa, vmbra, & fictilis vrna.

Ad

Ad Antonium Gylbæum de seipso.

Viuere non possum cœlebs, nec viuere coniunx,
Displicet hæc vita, at displicet illa magis.
Commodius viuit cœlebs, sed tutius ille, &
Sanctius, in sancto quem iuuat esse thoro.
Ergo vale cœlebs, O cœlebs vita valeto:
Ipse breui castus nempe maritus ero.

De cruenta pugna inter suum & cuiusdam sutoris gallum.

Magnanimum linguax gallum se sutor habere
Nuper iactarat, gallus cui non erat alter
Æquandus, facilè gallos qui vicerat omnes.
Hic palmam rapuit, dixit, rapuitq; trophæum
Semper pugnando, exanimes quoque liquerat omnes
A pugna gallos, saltem aut dare terga coëgit.
Crede mihi tales, inquit, non Anglia multos
Inclyta habet, corpus seu spectaris, animumúe.
Talia cum sutor fudisset plurima verba,
Atque mihi visus paulò iactantior esset,
Tunc ego, quid multis opus est? quid inania verba
Tot fundis? demensq; triumphum quid canis ante
Victricem pugnam? gallus tuus experietur
Fortè parem: nisi me mea coniectura fefellit.
Atque inquàm, mora nulla siet, tu adducito gallum,
Et gallos dubijs nostros committito pugnis.
Si meus euictus fuerit, nobis erit esca:
Sin tuus: abducas tecum quocunque libebit.
Conuenère simul galli, certatur viriq;
Acriter, & dubium, cui vellet cedere palma.
Multos sutoris gallus glomerauerat ictus,

Impauiduſq; meum percuſſit fortiter, acſi
Mox expugnaret, debellarétq; ſuperbus
Ille meum: Contrà meus audax ingeminabat
Ictus, nec voluit pauidus diſcedere arena.
Sed velut intrepidus taurus ſtetit, arte repellens
Mira atque inſolita, quos alter figeret ictus.
Cumq; diu ancipiti pugnatum Marte fuiſſet,
Sutoris gallus victus fugit, inq; pedes ſe
Conïjcit, en victum victor ſequiturq; ſuperbus,
Et criſtas tollens, canit alta voce triumphum.
O ſutor, ſutor, tu calceolos ſue tritos,
Et crepidas tritas: ſutrina ſtulte maneto
Ipſe tua. Gallum pullaſtrum ſi ſapuiſſes,
Caponem exciſis feciſſes teſtibus illum.

Ad Robertum Franciſcum.

ESſe domi non vis mihi, vis alïs tamen eſſe:
Sic vis, & non vis eſſe Roberte domi.
Eſſe domi debes alïs aliâs, mihi ſed cras
Quæſo ſies ſoli chare Roberte domi.

Ad Robertum Huiccum.

EVrialo Niſus, Pylades quàm fidus Oreſti,
Quàmq; fuit Theſeo Perithous profugo:
Tam mihi fidus eras, & eris (vt ſpero) Roberte,
Tam conſtans vera ſemper amicitia.
Nec tibi diſſimilem tu me experiêris amicum,
Dum reget hos artus ſpiritus iſte meos.

De Ælio.

ÆLius eſt morbo correptus, conualuitq;:
Aſt medicum vt vidit Simplicium, perïjt.

Ad

Ad D. Rob. Dymmocum discipulum suum.

Magnus Alexander magni studiosus Homeri,
Vix vnquàm è manibus Iliadem posuit.
Ergò cum Christus placeat ter maximus, eius
Ediscas verbum: maius id Iliade.

Ad Brocbancum de sacerdote & Aulico mutua pugna tumultuantibus.

Sacrificus gladio à quodam cum fortè petitus
Esset, cum pacis fœdera rupta forent:
Impiger arma rapit, validè vibrátq; lacertum,
Atque hosti inprimis abscidit auriculam.
Sacrifico tum læsus ait, non te decet ense
Percussisse aliquem, quod sacra scripta docent.
Nam Petrum iussit gladium deponere Christus,
Quod fecit, gladio percutis ipse tamen.
Sacrificus contrà: Christus tum ponere demum
Iussit, cum abscissa est auricula alterius.
Sic ego iussa sequor Christi, sequar atque libenter,
Dum fuerit virtus quantulacunq; mihi.

In Cotum suam fastidientem patriam.

Quem patriæ tantum pudet ingratissime Cote,
Dignus eras, Cotem quem facerent superi.

In Ægidium prædonum.

Prædones ni diuitias acquirere gaudent,
Prædonus technis, arte, doloque rapit.
Has cum corradant magno cum crimine vtriq;:
Prædones cur non dicere vtrosq; licet?

In Effigiem Cacodæmonis.

Blastus Apellæa longè doctissimus arte
Dæmonis hac specie pinxerat effigiem.
Monstrum informe fuit, toruum, pullum, horrificumq́,
Incutiens subitò terribilemq́, metum.
Scintillare velut flammæ sunt lumina visa,
Rostrum exporrectum, longáq, cauda fuit.
Rictus hiulcus erat, quasi cuncta vorare paratus,
Barbaq, erat pendens hispida pube tenus.
Instar noctiuagæ depictáq, cornua Lunæ:
Atque manus similes dira Celeno tuis.
Dextra manus lapides, librum sed læua tenebat,
Et globulos, posset queis numerare preces.
Extima nigra fuit vestis, quali monachorum
Vti consueta est pessima colluuies.
Ipsam præteriens monachus cum fortè videret
Effigiem, heus inquit, Blaste vbi es? anne domi es?
Adsum Blastus ait, quid vis? num Dæmonis atram
Effigiem coemes? forsan ait monachus.
Sed cur sic dirum rogo pingis Dæmona Blaste?
Plurima cum placeant, non mihi cuncta placent.
Ergo Blaste mihi paucis edisserе verbis,
Dæmona pinxisti hac cur ratione tuum?
Respondit Blastus, si quæ tibi cognita non sunt,
Hæc faciam claro lucidiora die.
Tum monachus. Pullum cur pingis? at ille subinfert,
Nil candoris habet moribus iste suis.
Dicito, cur illi prolixa, impexaq, barba est?
Nempe fuit quondam sanctus heremicola.
Addita cur cauda est? caudas facit iste salaces:
Vncæ curq, manus? has nihil effugiet.

Saxa

Saxa quid in dextra? Sic is tentabat Iesum:
Quis liber in læua? Sancta statuta Papæ.
Cornua quid gestat? Mosen imitatur in hac re:
Inuidet & Mosi cornua bina pio.
Cur similis Monacho est: Monachismi nam fuit autor,
Hic peperit monachos, hic peperit monachas.
Non patitur monachus, colophos pugnosq; minatur,
In media Blastus lite repente fugit.
Insequitur pinguis monachus, crinesq; prehendit
Mordicus, atque oculos, ósque, genasque ferit.
Tutius ô quanto Cacodæmona Blaste lacessas,
Quàm monachum, monachus lugubre numen habet.

De Clyto.

Die Saturni non edet carnes Clytus:
Solis die sed equum Clytus furabitur.

Ad Barth. Trah. & fidissimam eius coniugem Iodocam.

Vt gemit erepta castus sibi compare turtur:
Sic vos absentes nocte diéque gemo.

In Draperum. R. E.

Blittea Drapero est meretrix, cui stiria naso
Pendet, vel æstatis mediæ in caloribus.
Bellula Drapero, formosa, ac vda puella est:
Altera diebus seruit, altera noctibus.

In Bossum.

Bossus papistam se negat.
Non credo tamen, iuret licet,
Velit retractare is licet.

Claues papales pectore
Qui fert, carina & nauigat
Papæ, Papista hic verus est.

In Iordanum monachum.

NIgra tegit vestis Iordanum, aterque cucullus:
Nigrior in nigra veste tamen latitat.

Ad Dauidem Whithedum.

QVàm rarò scribis, si tam rarò loquereris,
Esses discipulus tu bene Pythagoræ.

Ad eundem.

SCribit Willobæus podagra te discrutiari:
Fallitur, haud podagra est: ergo quid? est chiragra.
Namq; podagra pedes vexat: digitosq; chiragra:
Ire potes bellè, scribere sed minimè.

Ad eundem.

QVod scribam nihil est (inquis) hoc quæso vel vnũ
Scribas, quod scribas scilicet esse nihil.

Ad Leopoldum.

ES mihi pollicitus multa, inquis: quæ rogo tandem?
Quod tibi pollicitus sum dabo, nempe nihil.

Ad Lobienum.

TVam necessitudinem quòd respuam,
Proclamitas patulo ore me ingratum virum.
Ingratitudinis notam mihi inurier
Nolim. Sed expediam tibi rem pauculis.
Missator es: ego idololatras non fero.

Missas

Missas tuas missas facere quòd si velis:
Libens meos te inter numerabo amiculos.

Ad amiculum quendam.

CHrestologos caueas, prudentes fallere possunt,
Aque solent etiam: Chrestologos caueas.

Dictum cuiusdam qui morionem repræsentabat in publico spectaculo, versibus redditum.

QVi sectare salutiferum verbum Altitonantis,
Quiq; Deum vera relligione colis,
Ne temerè ob quæuis morti te friuola dedas,
Consule sed vitæ, me monitore, tuæ.
Prudenter possunt sibi consuluisse papistæ,
Nec vitam temerè deseruisse solent.
Hi prius abiurent sanctissima dogmata Christi,
Atque ipsum Christum, quàm perijsse velint.

Ad Carpum.

DIcere sæpe soles, dabo quicquid spondeo: certè
Sic non das, & das: nam dare verba soles.

Ad studiosos iuuenes, vt celebrent obitum Nodnol.

London.

DIcite Iô iuuenes, cecidit tandem ille tyrannus
Nodnolus, læti dicite Iô iuuenes.
Dicite Iô iuuenes, perijt, qui perdere multos
Consueuit, quarè dicite Iô iuuenes.
Dicite Iô iuuenes, nunc demum ridet Apollo,
Lætantur Charites, dicite Iô iuuenes.
Dicite Iô iuuenes, Musæ, quas presserat ille,
Ecce reuiuiscunt, dicite Iô iuuenes.

Dicite Iô iuuenes, Muſæ ſua tempora lauro
Nunc claeres cingunt, dicite Iô iuuenes.
Dicite Iô iuuenes, nunc lætitiæ dator adſit
Bacchus, & alma Ceres, dicite Iô iuuenes.
Dicite Iô iuuenes: ſed dicite, mens petat aſtra
Nodnoli, optandum eſt hoſtibus atque bene.

In Caluum.

CVm pateras magnas, cum pocla capacia ſicces,
Cum vino madeas, cur rogo Calue ſitis?

Ad Gulielmum Picum.

GAudeo te ad tantos euectum nuper honores,
Prouida quos meritò fata dedere tibi.
Spero equidem tempus mi Pice aliquando futurum,
Cum caput ornabit ſplendida mitra tuum.

Hoc ſequens monoſtichon inſcriptum eſt foribus domus Capitularis (vt aiunt) in Cœnobio Benedictinorum, ſiue nigrorum monachorum.

HIC INTRET NVLLVS, NISI TVLLVS SIT SIBI CVLLVS.

Barbara vox Cullus, pro qua ponenda latina eſt,
Et poterit carmen forſitan eſſe bonum.
HIC INTRET NVLLVS, NISI TVLLVS SIT SIBI CVLVS.

Ad Vrſulam puellam.

VRſula chara veni, noſtros adeaſq; penates,
Linque lares proprios, Vrſula chara veni.
Vrſula chara veni, genio indulſiſſe iuuabit,
Segnes rumpe moras, Vrſula chara veni.
Vrſula chara veni, dapibus ſatiabere lautis,
Pemmata non deerunt, Vrſula chara veni.

Vrſula

Vrſula chara veni, non amplexus rogo turpes,
Non ſpurcas veneres, Vrſula chara veni.
Vrſula chara veni, per me tibi ſtabit in æuum
Virginitatis honos, Vrſula chara veni.
Vrſula chara veni, quid dura venire recuſas?
Vrſula ni venias, Vrſula dura vale.
Vrſula ni venias, valeas, non Vrſula, verùm
Vrſa, Dracæna, Tigris, Hydra, Leena, Lupa.

Ad moroſum & ſeuerum Lectorem.

NE contrahas frontem rogo,
Offendier nec te his velim.
Hæc luſi in adoleſcentia:
Omnes ſemel ſtulteſcimus.

De fæminis incomparabilibus, Catharina Regina Angliæ, & Catharina Duce Suffolciæ.

ANglia nobilibus Catharinis nobilitatur,
Scito alteram Reginam, & alteram Ducem.
Talibus ô felix, ter felix Anglia gemmis:
Felix heris Parkhurſte tuq́, talibus.
Terra Britanna tibi multos feliciter annos
Viuant: tibi Parkhurſte viuant & diu.

De ijſdem.

SI vitam ſpectes, non dixeris has Catharinas,
Rectius at multò dixeris has catharas.

Ad clariſſimam adeóque optimã puellam Annam Carounam, Reginæ Ancillam.

TE præclara facit ſpecies Helenem, facit at te
Penelopen caſtam caſta pudicitia.

Ad Humphridum Dikæum.

QVòd tam volens, quòd tam lubens
Reginæ in aula manſito,
Huius facit benignitas,
Pietas, facilis clementia.
Neceſsitudo addi huc poteſt
Couerdali, Huicci & Ælmeri.
O Dij, viros quos nomino?

De reſponſo fatui ad Ducem quempiam.

NVper Pontificis cum Dux veniſſet ad ædes,
Qui nutrire domi ſcorta foriſq; ſolet:
Obuius ecce Duci fit morio præſulis extrà
Limen, vbi Dominus, Dux ait, oro tuus?
Haud procul eſt, inquit fatuus, tibi vera fatebor:
Hic modo ſcortilli prodijt è natibus.

Ad Ioannem Iuellum.

VIn' ſtrenã? ergo habeas: quod mox ſequitur lege
Multũ chare mihi ſalueto Iuelle, valeq;. (carmẽ:

Ad Ioan. Eſtwicũ, Huiſſum, Wardũ, Huckelũ, Brownũ, Barnũ & vniuerſum muſæi Martonenſis cætum.

ERgo tot & tantis pro ſtrena munus amicis
Vnum mittetur tantũ? tantũ vnum? tamq; pusillum?
Quid dicent, imò quid non dicent mihi fidi
Gerrones, ſocij chari, charíq; ſodales?
Torpida pigrities ait hic in cauſa, ait alter,
Mens ingrata fuit: falſum ſed fallit vtrumq;
Iudicium, cauſſam ſed mox recitauero veram:
Atque mei facti paucis reddam rationem.
Nam quos vnus amor ferrumine pẽgit eodem,

Quos

Quos & amicitiæ iunxerunt fœdera ſanctæ,
Et quos tres Charites ſtrinxerunt nexibus æquis,
Et quos vna domus feliciter educat altrix,
Et quos vnus edax frigentes conſouet ignis,
Et quos vna Ceres paſcit, reficit quoque Bacchus
Vnus, quos & læta capit menſa vna frequenter,
Et quos vnicè amo, ſatis his eſt vnica ſtrena.
Strena puſilla quidem, nempe hæc ſunt carmina pauca,
Hæc hilari vultu, explicita quoque fronte legatis,
Moris vt eſt veſtri, veſtri id poſcit quoque candor
Ingenij, & quodam videor mihi poſcere iure.
Animi Tireſiæ præ veſtris ſint rogo pauci.
Fatidicæ vos porrò dies ſuperate Sybillæ.
Et cum ſint miſeræ tranſacta hæc tempora vitæ,
Altitonans faxit Deus, vt poſitis adire
Campos Elyſios, requiem finemq; malorum.

Ad Thomam Benſonum.

O Aule decus Albanæ Benſone ſalutem
Opto tibi ex animo longam, ſed nec morituram.

Ad Ioan. Gybonum.

Bifrontis Iani lætæ rediere Calendæ,
Auſpicium felix à quibus annus habet.
Tempore quo, grati certatim munera donant,
In ſanctum ſtabilis pignus amicitiæ.
Pauper pauperibus dat cepas, allia, porros,
Caſeolos ſlauos, poma dat atque nuces.
Pertenuis potus alter dat pocula plena,
Vitrea ſed rarò pocla referta mero.
Diuitibus Dines pro ſtrena miſſitat aurum,
Aurum quod multis heu parit exitium.

Ille dat auratos cyathos rara arte politos,
Quorum materiam longè opus exuperat,
Hic mittit veſtes paruo non ære redemptas,
Sæpeq; ſetigerum miſsitat alter aprum.
Alter viſendum dat equum, quem ferrea fræna
Non cohibent, ſeſſor nec cohibere poteſt.
Hic dat auem, pulchræ quam tangit gloria caudæ,
Gloria ſed viſo concidit ipſa pede.
Fortè dat alter aues, Pygmæi cum quibus olim
Vt ſcribunt veteres, conſeruêre manus.
Offert Phœbæos alius pro munere cygnos,
Mortem qui propriam dulciter ante canunt.
Alter donat auem, quæ ſit prænuncia lucis,
Quam nil deterrent prælia, bella, neces.
Non referam piſces, ſolitant quos mittere grandes,
Quos fluuij paſcunt, horriſonumq; mare.
Nec referam varias, quas dant pro munere ſtrenas,
Hercle nimis longum cuncta referre foret.
Omnia nam citius rorantia ſydera cœli,
Iſtas quàm ſtrenas enumerare queas.
Sed quid opus multis? pro ſtrena mittere magnum
Percupij munus chare Gybone tibi.
At cum non licuit tibi mittere, quale libebat,
Hos libuit paucos mittere verſiculos.
Qui quoniam Muſas colis, atque palam profiteris,
Permagni (haud dubito) muneris inſtar erunt.
Inſignem pietate virum ſaluere iubebis
Warnerum, minimum non decus Oxonij.
Hic mihi ſuppetias tulerat, cum febre tenerer,
O Doctor præſtans arte Machaonia.
Huic quoque ſcripſiſſem, ni dura Thalia fuiſſet,
Ni mihi ſcribenti Muſa nouerca foret.

Huic

Huic aliquot macros mitto pro munere pullos,
Nullus erat gallus, nullus eratq; capus.
Pauperis exiguum si nolit spernere munus,
Cum fuero diues, diuitiora dabo.
Francisco, Dauxo, ac Herno impertire salutem,
Sed nec Alambriggus prætereundus erat.
Exhausto Rino penè insudando libellis
Dic, tibi Parkhurstus prospera cuncta cupit.
Magni Pricæum pretij si fortè videbis,
Saluere hunc iubeas nomine quæso meo.
Quòd si alios noris mihi charos chare Gybone,
His rogo Parkhursti nomine dicito, aue.
Hæc vbi legisti, rapidis committito ventis,
In loca vel properè fætidiora iace.
Id si nolueris, festinans arripe dextra,
Et teneris digitis dilacerato tuis.
Id neque si placeat, fuerit nec sic tibi visum,
Protinus hæc Thetidi trade, Iouísue fabro.
(Autor qui fuerat tibi vt esset curta supellex,
In remoram studijs docte Gybone tuis.)
Has inquam nugas, soleo quas scribere raptim,
Doctorum ad doctas nolo venire manus.
Nam doctis possunt mea carmina suppeditare
Materiam risus, ridiculiq; ioci.
Verius effudi, quàm scripsi hæc crede Gybone,
Et calamo, & digitis accelerata meis.
Quarè immaturos fætus æquiq; boniq;
Consulito, humanum sic solet ingenium.
Iamq; vale, superi iubeant te vincere vatis
Annos Cumææ, Nestoris atque senis.

Ad Thomam Caium.

MVsarum decus eximium, Phœbiq; canori

Deliciæ Thoma, non rarò canende camenis
Noſtris, ſi Muſas tibi non ſordeſcere ſcirem
Rureſtres, veſtris vrbanis inferiores.
En tibi Ianus adeſt, Ianus Deus ille biformis,
Ianus præteriti gnarus, gnarusq; futuri.
Hic tibi principium fauſti denunciat anni.
Annum prædicit lætum tibi porrò futurum.
Quarè age, tota domus pateat tam fauſta ferenti
Nuncia, fœcundas haud ſegniter inſtrue menſas.
Crede mihi, Deus hic conuiuia ſpernit auara.
Quòd niſi tractaris bene tanti numina Diui,
Atque dapes dulces, & pemmata lauta pararis,
Bifrontis poſthac non vlla eſt conſpiciendа
Frons fortaſſe tibi: ſed vos ô Dij meliora.
O Iane obſecro te, obſecrant laurigeræq;
Muſæ, prætereà obſecrat te pulcher Apollo,
Vt noſtrum viſas Caium, viuumq; ſalutes
Ac lætum, poſtq; ſint ter ſex luſtra peracta.

Ad D. Gulielmum Morum, conterraneum ſuum, iuuenem generoſiſſimum.

CVm ſis iuuenis ô More prudentiſſimus,
Non conuenit certè Mori nomen tibi.

D. Ricardi Guenti Epitaph. ſcripſi in gratiam Ioan. Gyboni.

EXimius fatis Guentus conceſſit acerbis,
Deflet Doctorum quem bona turba virûm.
Hunc Heliconiades lugent, lugétque Minerua,
Hunc flauus laceris luget Apollo comis.
Hunc Aſtræa dolet terras liquiſſe rotundas,
Iam ſe aliqua ſentit parte carere ſui.

Corpus

Corpus in hac vrna requieſcit, Spiritus altas
Nunc habitat ſedes, aſtraque ſumma tenet.

De mercatore quodam.

MÆchus mercator factus cum certior eſſet
Laxaſſe vxorem frena pudicitiæ:
Naturæ hæc inquit lex eſt æquiſſima prorſus:
Cornua qui faciunt, cornua ferre decet.

Ad Ioan. Gybonum.

Dii te pontificem faciant Gybone bicornem,
Qui mihi Potanum miſeris altiloqum.

Ad Thomam Caium.

NIl corradere te pecuniarum
Dicis poſſe quidem: nec ipſe Cai.
Ad Plutonem abÿit Pecunia, à quo
Vênit: captus amore quiſquis huius
Eſt, nigri petat ille regna Ditis.

In Storæum Ludimag. Bulling.

DEſine Wiſdomum lingua lacerare furenti,
In te vel celeres mox experiêris Iambos.

In eundem.

COnficere vna hora te carmina poſſe ducenta
Iactas: vt poſſis: ſed duo nemo legit.

In eundem.

CArmina multa potes forſan conſcribere paruo
Tempore, multa aliud ſcribere, docta aliud.

Ad Thomã Barkerũ Ludimag. Gilfordienſem.

HVc Barkere rogo venias : nam cœna parata eſt,
Caponem pinguem guſtabis, eumq; tenellum.
Ni citius venias, prater nil oſſa relictum
Inuenies, hinc tu ſic incœnatus abibis.
Iamiam fruſtatim diſcerpitur : ergò venito.

Ad Ioan. Glouerum.

SI Glouere palato placeat tuo
Præpinguis capus, ad nos celer aduola.

In Hyrum.

MVlta mihi debent alij (inquis :) ſcilicet Hyre:
Multa alijs debes, nil alijq; tibi.

Hoc tetraſtichon appenſum eſt epiſtolæ, quam olim ſcripſeram in quoſdam papiſtas.

QVi legis hæc, iuſta tecum perpendito lance,
Si ſit Roma tibi, vel ſit amata minus.
Si ſit : te meritò placuit perſtringere ſcriptis:
Si non ſit : non ſunt hæc tibi ſcripta, vale.

In Caſtorem Papiſtam maledicentiſſimum.

INfligier quam Caſtori
Pœnam velim, qui Zoilum
Semper agit, (in me iudicis
Partes liceat ſi aſſumere)
Mea demum erit hæc ſententia.
Non opto reſtim Caſtori,
Non opto ei ſuſpendium.
Hunc enſe nolo tranſſodi,
Nec obrui ſaxis volo.

Nolo

Nolo venenum porrigi,
Torquerier nolo fame.
Nolo fluuijs ſubmergier,
Non Mulcibero litarier,
Morbiſq; non cruciarier,
Non tormine aut Pleuritide,
Non peſte, non morbo ſacro,
Non tabe, tuſſi, calculo,
Non obijciam Leonibus,
Nec dilacerent hunc Dæmones.
Tormentum at his maius volo.
Quodnam ſit illud quæritas?
Huic nubat Appollonia.

In Gaſpum, quem vnicus vini aut ceruiſiæ hauſtus reddit ebrium.

Sobrius eſſe velis? eris: at ne ſperne monentem:
E vacuo ſemper Gaſpe bibas cyatho.

In ædes Pylli hominis prædiuitis.

Extructæ magnis ſunt iſtæ ſumptibus ædes,
Cernis quas oculos ante nitere tuos.
Si ſapis, has fugias: hîc regnat namq; tyrannus,
In foribúſq; vide monſtra, trucéſq; feras.

In Pyllum.

Olim te dominum, pluſquàm Dominumq; vocabam,
Poſthàc non dominus, ſed mihi Pyllus eris.

In quendã valde obeſum, necnon ſceleratum.

Cvm patriam ſpernas, cum matrem, cumq; ſororem,
Cum facias etiam multa tacenda mihi:

Miror quod possit te pondus inutile ferre
Amplius hæc Tellus. Fortè negat tumulum.

In Prædonum.

SI non ostendant Prædonum facta tenacem,
Ostendet vultus, quàm sit auarus homo.

De Bachio & Rappo.

DVm loquitur Bachius, grunnit, crocitat bene Rappus,
Et quis facundos hos putet esse viros?
Inter quadrupedes ponam illum, hunc inter anésq;:
Nempè hic coruus erit, porcus & alter erit.

De Pyrrhio.

HYpocritam se dicit esse Pyrrhius:
Hoc ipse ni dixisset, ego non crederem.

Aliud.

HYpocritam cum se fateatur Pyrrhius,
Quis audeat negare: nemo Pyrrhium
Melius potest cognoscere ipso Pyrrhio.

De Rob. Bertleto, & homine cui insignis atque adeò precioſus (vt vulgò aiunt) erat naſus.

BErtletus grandi naso insigniq; videbat
Quendam forte virum, hunc talibus alloquitur.
Cum aurifabro bone vir rogo dic mihi quando fuisti?
Cogitat hæc alter quid sibi verba velint.
Hunc, inquit, video planè tibi verba dedisse,
Pro naso aurato namq; dedit cupreum.

De Naſica quodam.

DVcebat luscam luscus Nasica puellam,
Luscos & luscas gignit hic, illa parit.

Hi

Hi cum luſci ſint, vtinam luſci quoque ſerui
Eſſent, taurus, equi, vacca, iuuenca, ſues,
Prætereáq; canes, mures: ſic denique luſco
Naſicæ ſierit nil niſi luſca domus.

Ad amicum quempiam.

IMpare quòd ſcripſi numero tibi carmina nuper,
Deſine mirari, numero Deus impare gaudet.

In Pyllũ & Pyllioncm, dominum & ſeruum, cauſidicos.

APyllo differt ſcin' quantùm Pyllio? prædas
Quærit hic vt Vulpes, vt Lupus ille vorat.

In Zoilum.

ZOile cum tanta rabie exardeſcis in omnes,
Non aliter rabidus, quàm ſolet ipſe canis:
Dente Theonino rodens alios, calamoque
Inceſſens hos, qui nil nocuere tibi:
Vipéream in cunctos vibrans ô Zoile linguam,
Linguam quam inficiunt toxica dira tuam:
Cum debacchandi finis ſit Zoile nullus,
Hora quieta tibi nullaq; prætereat:
Cum tumeas veluti ventroſus Zoile bufo,
Demiror medius quod minus ipſe crepes.

De Anna Fuluia.

FVluia me niue conſperſit, dum luſimus vnà,
Quæ mihi nix magni cauſſa caloris erat.
Nam pectus poſt quàm niue conſpergebar, in ipſo
Illico creſcebat pectore flamma meo.
Quam non extinguent fluuij, vaſtus neque pontus,
Nec cunctæ madidus quas pluet Auſter aquæ.

O quàm fallebar, cui nix eſt frigida viſa:
Cum nix feruenti ferueat igne magis.

Ad eandem.

CAndida ſollicitè cur palleo Fuluia quæris:
Omnis crede mihi Fuluia, pallet amans.
Factus amans prorſus nil poſſum diſſimulare:
Es tu palloris Fuluia cauſſa mei.
Multas inſomnes duco mea Fuluia noctes,
Creſcit amor, pallor, creſcit & vſque dolor.
At me ſi redamare voles, vt velle putamus,
Creſcet amor, fugient pallor, & ipſe dolor.

In Puellas. Tale eſt carmen Endecaſyllabum apud Borb.

NOn ego ſanguinei formido pericula belli,
Non haſtas, enſes, ſpicula, tela, faces.
Non ventos, fulmen, pelagus, non monſtra, tyrannos,
Non furias, peſtes, Dæmona, ſpectra, minas.
Sed teneras metuo, mala formidanda, puellas:
Hæ perdunt miſeros, blanda venena, viros.

Ad Lectores.

LVdicra noſtra legent tetrici ſi fortè Catones,
Moroſiq; ſenes: cum venia oro legant.
Ne ſpernant iuuenem iuuenilia multa loquentem,
Iſta decent Iuuenes, ſeria cuncta ſenes.

Ad Annam Fuluiam.

ANna ô maxima pectoris
Pars noſtri, mea lux, delicium meum:
En ſupplex ego ter miſer,
Confoſſus iaculis teliferi Dei,

Ad

Ad te confugio, petens
Nil, præter licita, & casta, pudicáq;.
Hoc tantum rogo cor meum,
Succumbas placidis impigrè amoribus.
Sanctum coniugium innuo:
Per te coniugij fœdera sint rata.
Votis annuito meis
Oro, sic te equidem, méque beaueris.

Ad eandem.

SI mecum thalamos digneris inire iugales,
Si mihi des socias Anna pudica manus,
Tristis nulla olim factum Metanœa sequetur,
Et viues scriptis inclyta facta meis.

Ad eandem.

FLammis heu miserè torqueor igneis,
Quas restinguere tu sola potes quidem:
Non vndis, niue, rore,
Igni sed poteris pari.

Ad Cupidinem.

EN me vicisti, cessa sœuire Cupido:
Sternatur telis nunc precor Anna tuis.

Ad Nicolaum Eliotum, & Ioan. Adamum.

AFficeris morbo, segnique dolore Eliote,
Morbus & infestat corpus Adame tuum.
Tertius ægroto, grauiori cumq; periclo,
Nempe graue in misero pectore vulnus alo.
Vos iter arripite ad medicos: ego adibo puellam,
Curabit morbum sola puella meum.

Amans.

Quid magis infelix illo, qui captus amore est:
Hunc flammæ ardentes vsque cremant miserum.

Ad Annam Fuluiam.

Quid tot mente simul versas discrimina rerum?
Anxia quid tantum tanta pericla times?
Quos indiuulsi ferrumine iunxit amoris
Anchora nostra, bonus destituet ne Deus?

Ad Barth. Traheronem.

Nosse statu quo sint res nostræ si tibi cordi est,
Versibus his poteris certior esse meis.
Vror ego infelix, ignisq; per ossa vagatur,
Qualis in Ætnæis dicitur esse iugis.
Pectoris ex adytis gemitus erumpere gaudent,
Sæpius & lachrymis commaduere genæ.
Totos perq; dies suspiria mæsta frequento,
Ducitur insomnis noxq; dieſque mihi.
Sydera sublimis citius numerabis Olympi,
Quàm quot habent curas pectora nostra graues.
Has lenire potes, potes exemisse Traheron,
Quod potes, obsecro, dulcis amice velis.
Sæui consurgunt venti, subitæq; procellæ,
Iactatur dubijs nunc mea puppis aquis.
Præsens nutanti si tu sis anchora puppi,
Continget portum tum bene tuta suum.

Ad Annam Fuluiam.

Nvmine diuino monitus connubia posco,
An tu resistes numini?

Eia

Eia age, cede Deo, ne accendas numinis iram,
Contrà ſtimulum ne calcitres.

Ad Robertum Huiccum medicum.

OMne genus morbos cum pharmaca mollia curent,
Dic mihi, cur nullam fert amor antidotum?

De Amore.

REs præclara amor eſt, ſi (vt debet) feruet vtrinq;:
Mutuus at niſi ſit, peſſima res amor eſt.

Cur verno tempore in agros non expatietur.

OMnis ridet ager, comatur omnis
Arbos, ſuauiter & roſeta ſpirant.
Orbis pubet, amænus & renidet,
Dulci murmure concinunt volucres.
Agros nunc iuuenes virides reuiſunt.
Hortis ſerta legunt leues puellæ.
Omnes iam ſpaciarier per agros
Gaudent, aëre perfruuntur omnes.
Mærens ſolus ego domi ſeneſco.
Tanti cauſſa mali puella dura eſt.

Ad Barthol. Traheronem.

COndidit Auſoniam non vna diecula Romam,
Vnus nec Troias perdidit annus opes.
Sic non vna dies ſtabilem conſummat amorem,
Vno expugnatur fœmina nulla die.
Fortiter audendum, intentatum nilq; relinques:
Non ceſſator erit, quiſquis amator erit.
Quæ ſe moroſam nunc præbet, difficilémq;,
Longo fortè dabit tempore victa manus.

Ad Annam F.

Quantum Lesbia debuit Catullo,
Nasoni tenero Corinna quantū,
Quantum Borbonio Rubella docto,
Tantum debueris mihi Anna, tantum,
Si tu me redames, tuum vocésque
Cor, mel, delicium, suauiumq́,
Vitam, spem, lepidum caput, decúsque:
Viues nempè meis puella scriptis.
Nomen posteritas tuum loquetur,
Nam quid posteritas negat poëtis?

Ad eandem.

Langueo amore tui, languentem ferrea spernis,
Ignes & rides forsitan ipsa meos.
Quodsi non silicem gestares pectore durum,
Ni sæuis esses barbariorq́, Getis,
Antehac verba tuum penetrassent blandula pectus,
Nec raperent nostras ventus & aura preces.
Non ego spernenda sum forma: sunt mihi dotes,
Quas non vt viles temnere iure queas.
Sunt Charites comites, comites sunt & mihi Musæ,
Me iuuat officijs Phœbus Apollo suis.
Sum placidus, comes, fidus, constans in amore,
Non est in nostro pectore fœdus amor.
Ambio non multas (solet vt mala turba) puellas,
Pectus habet constans vna puella meum.
Carmina compono, quæ doctis fortè probantur:
Nil moror indoctos (barbara monstra) viros.
Carmina te claram reddent mea, nomen & ipsis
Æquabunt astris, te facientq́ Deam.

Quòdsi

Quòd si te nil ista mouent, si temnere perges,
Aures si haud penetrat nostra querela tuas:
O dura Anna vale: non deerit (spero) puella:
Gaudebit tali casta puella viro.
Olim te Metanæa coquet (sim vanus at augur):
Et dices, vates quur mihi spretus erat?

Ad Lectorem.

IPse mei præco factus stulteſcere credar,
Et multis nimium fortè philautus ero.
Hæc culpa est fateor: tamen in me hæc culpa ferenda est,
Nempe puto miseris multa licere procis.

De Anna F.

NOn visa diu sit obuiàm nuper mihi
Anna, erubuitq;, res omnes saluas puto.

In eandem.

QVicqnid latebat in mentis recessibus,
Concredidi id omne Annæ meæ.
Nil continebat hæc, refudit omnia,
Rimosa vasa fœminæ.

In eandem.

VErgilius cecinit, varium & mutabile semper
Fœmina: an hoc quicquàm verius esse potest?
Nam mihi quæ constans dudum esset Fuluia coniunx,
Heu nimis inconstans hæc mihi verba dedit.
Prodiga pollicitis, sed mens contraria rebus
Non metuit sanctam dissoluisse fidem.
Tale equidem potui nunquàm sperasse, sed ipsam
Vicerat aut leuitas, aut Amor, aut odium.

Inconſtans valeas ô Fuluia, nunc magè conſtans
Eſt alibi coniunx diſpicienda mihi.

In mulieres.

O Peſtes hominum, ſine vobis nulla voluptas,
Hanc ſequitur celeri ſed Metanæa pede.
O peſtes hominum, ſine vobis viuere nemo,
Sed bene vobiſcum viuere nemo poteſt.

Aliud in mulieres.

AVtumno flauæ quot conſpiciuntur ariſtæ,
Et quot habent ſpicæ pendula grana leues:
Sydera quot cœlo, volucres quot in aëre pictæ,
Et quot habent conchas littora curua maris:
Quot folia arboribus, quot apricis gramina campis,
Et quot habent guttas æquora ſalſa vagas:
Tot muliebris habet mens verſutiſſima fraudes,
Tot ſcelera & peſtes, præcipiteſq; dolos.

In mulieres, aliud.

QVi ſapis, infidis fœmellis fidere noli:
Eſt hominum mulier peſtis & exitium.
Flectitur hæc quauis vt pinna volatilis aura,
Induit & formas Proteus vt varias.
Nunc ait, & rurſus negat: odit nunc, amat & nunc:
Nunc flet, nunc ridet: Grande malum mulier.

In fœdifragas & inconſtantes fœminas.

AH genus infidum, crudeleq; fœmina nomen,
Fœmina quæ didicit ludificare viros.
Ludificare viros quam nil pudet, imminet illi
Pœna, licet tardo viſa venire pede.

Ad

Ad Annam Fuluiam.

NOn vis maritum me tibi:
Nec coniugem volo te mihi.
Quòd me fugis, forsan sapis,
Quòd te fugio, sapio magis.

Ad Barth. Traheronem.

INter me ac Annam bene conuenit: hanc mihi nolo
Vxorem: me vult hæc nec habere virum.
Non equidem talì sum dignus coninge: & illa
Indigna est tali Bartholomæe viro.

Ad eundem.

BArtholomæe diu versabar fluctibus æger,
Penè fuit puppis mersa gurgitibus.
Euasi Syrtes, Scyllam, diramq; Charibdim,
Iamque manet portu tuta carina suo,

Ad Lectorem nostros irridentem amores.

VIncere qui potuit taurum, Hydram, Stymphalidas q;,
Qui Diomedæos vincere posset equos:
Gerionem, Stygiumq; canem, sæuumq; draconem
Inuicta potuit qui domuisse manu:
Qui potuit victor tantos aufere triumphos
Hercles, a puero victus Amore fuit.
Ergo quid mirum, si me prostrauerit arcu
Imperiosus Amor: vincit & ille Deos.

Ad Nicolaum Eliotum.

ANnam puellam deperij miser,
Solam petebam illam mihi coniugem,

Nunc coniugem nolo: ſed ecquur?
Perfida perfida nam eſt puella.
Quæ nunc puella eſt perfida, perfida,
Kxor futura eſt perfida, perfida.
Ergo cauebo pœnitendi
Perfida ne mihi cauſſa fiat.
Torquebitur nunquàm iſta paræmia
In me, nimis ſerò ſapiunt Phryges.
Turpiſsimum iuxtaque ſtultum eſt
Dicere, non equidem putaram.

In mulieres.

VAle Anna, quid tecum mihi?
Quid cæteris cum fœminis,
Leuibus, malis, fallacibus?
Cum talibus cui nil rei eſt,
Illum beatum iudico.
Malam faceſſant in crucem,
Peſteſq, peſtis auferat.
Heus Heus ſodales optimi
Adeſte, & huc accurrite.
Ad œnopolium ſimul
Celeri properemus & pede.
Siccentur alta pocula.
Obambulent carcheſia.
Curæ valento noxiæ,
Vafræ valento fœminæ.

Ad mulieres probas.

VObis nulla meis facta eſt iniuria verbis:
Nam reprehendo malas, effero laude bonas.

De

De seipso & Anna F.

ANnam ipse amabam vt coniugem,
Me rursus hæc amauerat,
Vt credidi, sinceriter,
Spondens mihi & connubium.
Sed ecce perditissimus
Quidam nebulo dissoluerat
Incepti amoris vincula.
Quid hic velit, non sat scio.
Quid hæc velit, nec sat scio.
Vnum sed hoc probè scio.
Nunc non amor, nec ipse amo.

Ad Lectorem.

O Lector optime hic habes
Tragœdiæ catastrophen,
Barbatulus quam luseram,
Barbatulúsq; scripseram.
Istos amores nolui
His inseruisse ludicris,
Precibus, minis, conuicijs
Amiculi ni cogerent,
Id occinentes sæpius,
Hoc factitarunt ante te,
Quotquot dedere in publicum
Huius generis Epigrammata.
Si est culpa, culpa est omnium.

Ad Deum opt. max. precatio.

DEus pater sanctissime,
Terræ, poliq; conditor,

Vitæ meæ ſpes vnica,
Ignoſcito erratis meis.
Delicta & ignorantias
Meæ Iuuentutis rogo
Obliuione deleas.
Audi preceſque ſupplicis,
Et intuere lachrymas,
Genis ruentes humidis.
Vitæ prioris pœnitet,
In poſterum quam corrigam,
Si me tuo adſles ſpiritu,
Sine quo nihil nos poßumus,
Placere quod poßit tibi.

Cum domina mea clementiſſima Catharina, Suffolciæ Dux grauiſſimo morbo Grimſthorpiæ periclitaretur, hæc madidis genis ſcripſi.

Ad Deum opt. max. precatio.

O Pater omnipotens, hominum ſpes, vita, ſaluſque,
Qui morbos pellis, mortis & arma procul:
Quo ſine nil viuit, ſine quo nil morte caditq;
Audi quæſo meas aure patente preces.
Vexatam morbis dominam tu redde ſaluti,
Artus & vegetos ſentiat eſſe ſuos.
Hac viua, meritos ſoluam tibi viuus honores,
Si viuit, viuo: ſi moritur, morior.

In Fritonelum.

VIs morio videri er: & es morio.

Ad Mullum.

CVm me Tucca nouo vellet donaſſe libello,
Improbe poſcebas hunc tibi Mulle dari.

Sic

Sic mihi nec donat, donat ſed nec tibi Mulle:
Sic tibi nil prodes, ſic mihi Mulle noces.

Ad Ioan. Iuellum, de Criſpo.

STamina cum patri diſrumperet vna ſororum,
Cum fugeret notos ménſque ſoluta lares:
Sperabam Criſpum partes ſupplere paternas
Velle, ſed hanc video rem cecidiſſe ſecus.
Nam mihi nil donat, non munera magna petenti,
Saxeus ad noſtras ſurduit ille preces.
Poſsidet hic gazas, ego paupertate laboro,
Aſſe tamen non ſum ditior huius ope.
Quæris cur in me ſit Criſpus parcior æquo?
Impia non poſſum dogmata ferre Papæ.

Ad Gulielmum Dalum.

CRas equidem lætus tibi ſum conuiua futurus,
Mittoque porcellum, vt inueniam quod edam:
Nec ſolus veniam, nam me comitabitur vmbra.
Interea valeas, ingenioſe Dale.

Ad Ricardum Maſterum.

SInt tibi felices Iani Maſtere calendæ

Ad Gulielmum Picum.

OAnimæ pars magna meæ pro munere donat
Parkhurſtus verſus hos Gulielme tibi.
Iani prima dies fauſtiſsima ſæpe recurrat,
Aurea dent longos cernere fata dies.
Dij iubeant poſsis æuum ſuperare Sybillæ,
Pars bona amicitiæ candide Pice meæ.

Ad Ioan. Howellum.

Sit tibi quàm fauſtus, qui nunc nouus incipit annus.

Ad Ioan. Pagæum, ad quem pro dono mittit Ariſtophanem.

Accipe non tetrica, ſed læta fronte libellum,
Quem dat Parkhurſtus, dulcis amice, tibi.
Exiguum certè, rem ſi ſpectaueris ipſam
Munus, at eſt grati pectoris indicium.
Viue, valeq; diu, viuas quoque Neſtoris annos,
Chare Pagæe mihi, viue, valeque diu.

In hoſpitem furem, apud quem ſuſceptus erat hoſpitio.

Conſilio ô hoſpes tuo adempta pecunia noſtra eſt,
Non mihi eris poſthac hoſpes, at hoſtis eris.

Ad Dauidem Whithedum, in calce epiſtolæ.

Hæc vbi lecta tibi fuerint Whithede, cloacis
Tradito, vel rapidis abripiantur aquis.
Claudo vel veneris (ſi viſum eſt) trade marito,
Inſontes iuxtà qui vorat atque malos.

In Hordenum.

Coniugiũ meditor: tragicè obſtrepis, atque probro das:
Quid faceres, eſſent ſi mihi ſcorta? Nihil.

Ad Robertum Franciſcum.

Diceris in tepido languens decumbere lecto,
Correptus ſubito diceris eſſe malo.
Quæ res inflixit noſtro noua vulnera cordi,
Diſcrucior miſeris æger & ipſe modis.

Sed

Sed pater altitonans morbo te liberet iſto,
Vt poſsis ſanus reddier ipſe mihi.
Sic læti genio nos indulgebimus vnà:
Sic licet & nobis viuere, ſic bibere.

Longè omnium fortiſſima veritas.
3. Eſdræ. 3. 4.

REs eſt potens vinum, potens rex, fœmina
Potens magis, potentior at eſt veritas.

Ad Vxorem.

NIl magis in votis eſt, quàm vt poſsimus in vna
Eſſe domo, caſto iungier atque thoro.
Tam pium opus non fert raſorum turba bicornis,
Turba breuî ad Stygios præcipitanda lacus.
Mutua at intereà carpamus gaudia furtim,
Gaudia læta nimis, gaudia rara nimis.

Ad D. Anthonium Copum ſummum Reginæ Catharinæ Cubicularium.

ESt mihi opus ope Cope tua: ne ferre graueris:
Eſt vrbs Londini cras adeunda mihi.
Intereà abſentem ſi me Regina notabit,
Reginæ cauſſam dicito quæſo meam.

De Frogo amiculo.

ANhelus ad me nuper acceſsit Frogus.
Amice, ait, nummos dato bis ſex mutuò.
At quando reddes? ad calendas Graias?
Reſpondit, imò forſan ante Martias.
Forſan ne? habeto ergò. at ne forſan omnia
Perdam, tabernam eamus ad vinariam.

Volo duos expendier ibi nummulos.
Itur: merum adfertur, pater æq; obambulant:
Curæ positæ: multo se uterque proluit
Auro: Deinde quid? dat hic pro symbolo
Omnem pecuniam, nihil reliquum facit.
Nummatior is non est, nec ego sapientior.

In quendam Reginæ Catharinæ famulum.

NIl faciunt conserui, inquis, facio omnia solus:
Magno profecto dignus es stipendio.

In eundem.

OMnia cum facias, nihil est quod nos faciamus:
Desidiosa (puto) cætera turba sumus.

In Coltum sacrificulum.

ERrant nil quicquàm Coltum fecisse putantes:
Fecit grauidam puellulam.

In Alphum.

OVa die veneris non esitat Alphus, at idem
Ebrius est: ô quàm relligiosus homo est.

Ad Candidum de Cæcilia.

QVæ frontem solita est caperare, exporrigit en nunc
Cæcilia: hesterno nupserat illa die.

Ad Barth. Traher. in calce epistolæ.

SEd cum sic mea fata volunt, equidem toleranter,
Si non libenter hæc feram.

Auaricia & libido huius temporis.

PEctora cæca hominum cæcum nunc possidet aurum,
Nec Venus impuris est satis una viris.

Ad

Ad Lectorem.

SI bona sunt nostro vel sex Epigrammata libro,
Non est ex omni parte malus liber hic.
At si sex non sunt, tum cætera respue: molles
Detergantq; nates lector amice tuas.

In mulierculas garrulas.

HAurit aquam cribro, piscatur in aëre, qui se
Posse putat linguas sistere fœmineas.

In Mordalum.

LIngua euangelium Mordale prædicas,
Ast euangelicè viuere non soles.
Sic euangelium Mordale percacas.

In eundem.

ESt bona lingua tua.
Est mala vita tua.
Quomodo conueniunt?

In quempiam Parsitam nomine.

ESt Parsite tibi nomen contractius æquo:
Adjce vocalem, sic Parasitus eris.

In Afram.

LAscivos amat Afra viros, collusitat illis:
Gaudet simile simili suo.

In eandem.

NVbere vis Mopso (sic aiunt) & sapis, ædes
Is tibi credo potest ædificare nouas.

In eandem.

SAt bene conueniet tibi cum Mopso Afra marito,
Peßima es ipßa vxor, peßimus ille vir eſt.

De eadem.

AFra timet nimbos, frigus, tonitruq́, niueſq́,
Horriſonos ventos, fulmen & Afra timet.
Nubere vult Mopſo, noceant ne talia: Mopſus
Qualemcunq́ potest ædificare caſam.

De eadem.

ELegit fabrum pruriſcens Afra maritum:
Sub diô non vult illa cubare: ſapit.

Ad amiculum quendam Aframam amantem.

CONiunx eſſe tibi voluit, nunc Afra recuſat:
An non cauſſa tibi est cognita? virgo fuit.

Ad eundem.

VElinoli citiùs maris enumerabis arenas,
Quàm quot præstò habeat fœmina iniqua dolos.

Gualteri Marton quondam Roffenſis Epiſcopi, & Muſæi Martonenſis fundatoris, Epitaphium.

GValterus Martõ Roffenſis Epiſcopus olim,
Pontificumq́ decus dormit in hoc tumulo.
Hic doctos aluit, coluit doctiſſimus ipſe,
Condidit Oxonij nobile gymnaſium.
Hancce tuis vrnam qui contemplaris ocellis,
Mânibus illius cuncta quieta velis.

Ad

Ad Ioan. Iuellum.

Quamuis tibi ſcribam nihil
Iuelle mellitiſsimè,
Dubito tamen nil quin tuus
Sit perpetuus ergà me amor.
Et vt fatear verum tibi,
Nil planè erat quod ſcriberem,
Niſi quòd mihi ſis chariſsimus.

De eo qui ære opprimitur alieno.

Qui debet multum, timidus conſortia vitat
Omnium, & vt triſtis noctua nocte volat.

Ad amicos quoſdam triſtiores.

Nolim vos tetricos ſemper ſimulare Catones:
Vos ridere velim, vos monachoſue velim.

Ad Ioan. Ælmerum præceptorem Ianæ Graiæ, de victoria in Scotos.

Animus meus geſtit, ſalitque cor meum,
Præ gaudio, ſim vbi, facilè haud expreſſero.
Quæ lætitiæ ſit cauſſa aues cognoſcere?
De militibus Anglis referuntur omnia
Proſpera: potiti & ſunt celebri victoria.

Ad eundem.

Victi ſunt hoſtes, nos tandem vicimus Angli:
Tanti ſcilicet eſt precibus pulſare Tonantem.

In Lentulum.

Nocte diéq; tuos dum exhauris Lentule nummos,
Lentule eris Codro paupere pauperior.

In Vxores deformes & malas.

Cui simul est vxor deformis & improba, viuus
Mortuus est, Stygia iamq; palude natat.

In easdem.

Si tibi nigra siet coniunx, si sint quoque nigri
Mores: suspendas te, vel eam properè.

In Afram.

Afra cum videam mores, videam quoque formam:
Hanc video esse Helenam, nec video esse Helenam.

Ad Lectorem.

Offendit nimia te garrulitate libellus
Fortè meus: lector miror id ipse nihil.
Obsitus est etenim verborum colluuione
Plusq; vandalica, rebus & insipidis.
Quarè si sapias, operam ne perdito posthac
Nostra legendo, legas vtiliora, vale.

De G. Gosso. Eff. Fa.

Cum prandet, cœnat, cum sessitat, ambulat, aut cum
Ardet, frigescit, somniat, aut vigilat:
Cum bibit, aut comedit, cum seria, ludicra tractat,
Cum cacat, vsque canit Gossus. Homo est hilaris.

De eodem.

Cantillare solet nullo non tempore Gossus:
Anne canet gelido conditus in tumulo?

Ad eundem.

Semper cantillas. Quid ad me Gosse? sed ad te
Pertinet hoc, luctus lætitiæ comes est.

Ad

Ad Ponticum.

CVr non inuito te ad cænas Pontice noſtras?
Ne vocer ad cænas Pontice porce tuas.

Ad Candidum.

ASſeris eſſe tuum, manibus quem geſto libellum,
Certè erat: abs te emi Candide: nunc meus eſt.

In Minſigerum.

DVlychio quondam fueras mendicior Iro,
Reddidit at ditem te noua nupta virum.
Vxore extincta, gazas abſumis opimas:
Si pergis, rurſum Minſiger Irus eris.

De Ioan. Drapero R. Eſſ.

IActat Draperus ſe dicere poſſe Latinè,
Dicere cum tentat, vix duo verba poteſt.
Vix duo verba poteſt, & ſemibritannica ſunc hæc:
Sic bimus profert verba latina puer.

De Squyro pituitoſo & muccoſo ſene.

OStrea Squyrus emit rarò, vorat oſtrea rarò:
Oſtrea ſed quouis expuit ille die.

In Cottam.

COtta habet vxorem ſcortillum, quod ſcit, & inquit:
Bis denis ſatis eſt vna lucerna viris.

In Ædilum.

ARdenti lauro es clamoſior Ædile, nempe
Garrulus es lingua, garrulus es natibus.

Garrulus esto aliâs : cum prandes, comprime linguam,
Aut saltem obstreperas comprime quaeso nates.

Ad Candidum.

FAlleris omnino, de Polo qui bene speras:
Anne aliquandò Lupus desinet esse Lupus?

Ad Barth. Trahcronem, in calce epistolæ.

IStic si quid erit rerum, expiscare, nouarum:
De quibus vt fiam certior, oro, breuî.

Ad Carpum.

NIl mihi re, verbis ingentia dona dedisti,
His & deuinctum me tibi Carpe putas.
Sic te deuinctum reddam mihi : plurima dona
Ecce dabo longè splendidiora tuis.
Quòd si ego fictitijs fio donis opulentus,
Muneribus fies dines & ipse meis.
Argenti solidi centum dono tibi plaustra,
Auri fulgentis do tibi plaustra decem.
Pontificum mitras auro gemmisq; nitentes,
Et mulos dono, splendida vasa, domos.
Lanigeras pecudes, quas Anglia possidet, omnes
Dono tibi, dono magnanimos & equos.
Do pisces, quos flumina, vel quos æquora pascunt,
Do gemmas, vastus quas habet oceanus.
Terra Hispana tibi, tibi pâreat Ausonis ora,
Imperio subsit Gallica terra tuo.
Prussia te dominum vocitet, Regemq; salutent
Rhenicolæ, tua sint regna Boristhenidum.
Omnia Turcarum dono tibi regna potentum:
Nunc Carpe est nemo te (puto) diuitior.

Ad

Ad Barth. Traher. in calce epistolæ.

TAm citò vis nostris ô credule credere verbis?
Ne credas: ipsi vix ego credo mihi.

Ad Vincentium.

BArbariem si vincenti deuiceris omnem,
Tunc poteris meritò nomen habere tuum.

In Hoddilianum.

NEscio quos nœuos in me notat Hoddilianus,
Nescio quos nœuos solus & ille notat.
Eminus in nostris festucas cernit oellis,
Comminus in propriis non videt ille trabes.

In eundem.

FEstucam oculis vides minutulam meis,
Videsque tunc cum sim procul abs te dissitus.
Possis videre cum minutula tam procul,
Non est in oculis vlla merda (scio) tuis.

In eundem.

VT sapias, profundis opes, Heroibus & das
Hoddiliane, sophos consulis, vt sapias.
Ast Euangelion qui non sapit, hic sibi quamuis
Permultùm sapiat, non sapit ille tamen.

In quendam olim Euangelio, at nunc papismo fauentem.

IMpius es, prudens ad iniqua redire quòd ausis,
Vt sus ad cœnum, ac vt canis ad vomitum.

In eundem.

OBscœno quicunq; luto se immergere mauult,
Quàm puris lymphis, hic lutulentus homo est.

In Arnoldum cognomento bonum.

QVi malus es, bonus es, non re ſed nomine: Longè
Peßimus eſt, peior te Bone quiſquis erit.

De Viſeldo.

LIbros Viſeldus vendidit,
Cornu ſibi quo comparet.
Dixit vale nunc litteris,
Venabitur poſt damulas.

De eodem.

VEndiderat libros, quo neſcio percitus æſtro
Viſeldus, cornu comparat inde ſibi.
Cornu empto dixit, facunda valeto Minerua,
Iam te per ſyluas clara Diana ſequar.

Ad Margaretam vxorem.

EN Saturninus venit huc rixator acerbus:
Fac acuas linguam Margaris (oro) tuam.

In Ploſdenum.

NVnquam non garris, Vox eſt & tertia Dæmon,
Quem colis vt Dominum, iugiter hunc loqueris.
Chriſtus adeſſe nequit, Belial niſi pectore cedat:
Vna non poſſunt hi ſimul eſſe domo.

Ad Ioan. Iuellum.

OLim diſcipulus mihi chare Iuelle fuiſti:
Nunc ero diſcipulus, te renuente, tuus.

Elyzabethæ Symſonæ ciuis Londinenſis Epitaph.

QVæ fuit in viuis coniunx tam fida marito,
Altera pauperibus quæq; Tabitha fuit:

Hæc

Hac requieſcit humo, donec vox clara Tonantis
Felicem ſedes euocet ad ſuperas.

Ad R. Parkhurſtum.

Coniunx mihi cum non foret,
Me plurimum dilexeras.
Nunc habeo tandem coniugem,
Me coniugatum deſpicis.
Si viuere cœlebs poſſies,
Expers ſacri connubij,
Nullis repletus interim
Nec inquinatus ſordibus,
Eſt quod Deo grates agas.
Sancto ſi ego me connubio
Addixerim, cur inuides?
Et hoc probat vitæ genus
Deus, licet reclamitent
Sacrificuli papiſtici,
Laſciuientes beſtiæ.

In quendam.

Non ſum ſcortator, non fur inquis, nebulóne,
Fama tamen de te ſpargit vbiq; aliud.
Non ſum ſcortator, non fur inquis, nebulóne,
Aſt aliud loquitur vita ſceleſta tamen.
Cum certi teſtes ſint vita, & publica fama,
His tribus es dignus peſſime nominibus.

In eundem.

Quamuis ſies pauperculus,
Spernis tamen pauperculos,
Facis nec huius diuites.

Sublime noli ſcandere,
Ne fortè furcas ſcanderis.

In Perinnum, qui libello edito Miſſas ſtabilire conatus eſt.

DEſipis inſulſas qui fers ad ſydera Miſſas,
Miſſas fac miſſas ſtulte Perinne tuas.

Ad Thomam Benthamum.

NOſcere fortè cupis, quiſnam fuit iſte Perinnus,
Accipe, ſi neſcis: Dæmonicanus erat.

Ad Milonem Couerdalum.

ACcipe pro ſtrena carmen breue, quod tibi notam
Hiſtoriam referet. Nomina manca leges.
Reddetur ratio. Nolim irritare crabronem,
Sæpe truces pungit paruula muſca tygres.

De Mano & Mero amiculis.

FRigus penetrarat torpidum
Collum Mani, hunc torquet malè.
Mærens amicum conſulit
Merum ſuum, hunc interrogat,
An norit aliquid, tollere
Quod hunc dolorem poſſiet.
Quid ni? Merus ſtatim refert.
Vnum poteſt hoc pharmacum,
Laqueus repente tollere.

In Zoilum.

CArmina rumor ait te Zoile carpere noſtra:
Carpere vel ceſſa, vel meliora Dato.

Ad

Ad Humphridum Dikæum.

Quæris, Tracæum quanto amore prosequor?
Olim patrem quanto meum.

Ad D. Porum Elizabethæ Principis famulum.

O Pore pauper spiritu,
Vxor tibi est ditissima,
Spectare mores si velis.
Pectus tibi est ditissimum
Virtutibus plenum bonis.
Et vnde viuas est satis,
Nec plus satis desyderas.
O Pore ditior Mida.

Porus Anglis significat pauperem.

Incomparabilis fœminæ Catharinæ nuper Angliæ, Franciæ, & Hiberniæ Reginæ, Dominæ meæ clementissimiæ, Epitaphion.

1547.

Hoc Regina nouo dormit Catharina sepulchro,
Sexus fœminei, flos, honor, atque decus.
Hæc fuit Henrico coniunx fidissima regi,
Quem postquàm è viuis parca tulisset atrox,
Thomæ Seymoro (cui tu Neptune tridentem
Porrigis) eximio nupserat illa viro.
Huic peperit natam: à partu cum septimus orbem
Sol illustrasset, Mors truculenta necat.
Defunctam madidis famuli deflemus ocellis:
Humectat tristes terra Britanna genas.
Nos infelices mœror consumit acerbus,
Inter cœlestes gaudet at illa choros.

Aliud eiuſdem Reginæ Epitaph.

CAtharina in hac vrna iacet,
Regina nuper Angliæ,
Decus mulierum maximum.
Parieudo perit puerpera.
Infantem enim poſtquàm edidit,
(Fulgente luce ſeptima)
Ea illa ſpiritum edidit.

Inclytæ puellæ Mariæ eiuſdem Reginæ filiæ, Epitaphion.

QVam cum ſuæ diſpendio
Vitæ, crebríſq; nixibus
Regina mater edidit,
Sub hoc viator marmore
Infans puella dormio.
Mihi cruenta longiùs
Si Mors dediſſet viuere,
Illa illa matris optimæ
Virtus, pudor, modeſtia,
Cœleſtis illa & maſcula
In me reuixêt indoles.
Nunc quiſquis es valebis, &
Quòd plura non loquor, meæ
Donabis hoc infantiæ.

De Ioan. Adamo, Ioan. Eſtwico, & ſeipſo.

TRes ſumus, at nos tres vnum ſumus, vnus & idem
In tribus eſt animus.
Tres certè Charites docti finxere poëtæ,
Sunt tamen vna Charis.

Ad

Ad D. Gulielmum Nauntonum.

SI Nauntone tuos me inter numerabis amicos,
Clareſces ſcriptis forſitan ipſe meis.
Nunc tua fama ſatis clara eſt, ſed clarior olim
Fiet, ſordeſcat ni mea Muſa tibi.

Ad Hauſum amicum.

DIc mihi ſubfuſcam cur ambis Hauſe puellam?

Reſponſum Hauſi verſibus a me redditum.

MEntis ego dotes corporis anteſero.
Nō quia pulchra Helena eſt, ſed quia Penelope eſt.

Aliter.

SAncta puella mea eſt, quam depereò, faciliſq;,
Formæ hæc difficilis damna leuare ſolent.

In Chiridonium.

COnſtantem & fidum nobis te dicis amicum,
Atque iubes noſtrum te vocitem Pyladen.
Tu mihi nec Pylades vocitabere, ſed neque Nilus,
Nec dignus fidi es nomine Perithoi.
Ergo Perithous, Pylades, cum ſis neq; Niſus,
Et meus eſſe velis, tu Paraſitus eris.
Nam queo amici aliud nil in te cernere, quàm quòd
Non inuitatus prandia noſtra voras.

Ad Alexium.

VXorem duces Fauſtam? non hæc tibi Alexi
Nubet, diuitÿs nubet at illa tuis.

Ad sacrificos qui vouerunt castitatem.

QVàm præclara siet res, mens sibi conscia recti,
Sanctum docet connubium.
Vxores igitur gens ô votaria castas
Ducite. Pios hoc iuuerit.

Ad Arcimboldum Bernardum.

GRinæus noster summis te laudibus effert,
Te mirè humanum prædicat esse virum.
Quarè non potui non qualiacunq; dedisse
Arcimbolde tibi carmina nostra, vale.

Ad Rob. Couchæum & Tho. Paufremannũ.

DVm se simul mihi offerant
Doctrina vestra in Musicis
Rebus, sacrisq; in litteris,
Dum vestra vita se quoq;
(Quam ducitis semper piam)
Adiungat hisce suauiter,
Vos non queo non dicere
Doctos viros, viros pios.

In Chorlum amiculum auarum.

INuitus das Chorle mihi, inuitus tibi grates
Chorle ago, nil posthac des mihi Chorle, rogo.

In Bossum.

INfandos vestræ cum taxo libidinis æstus,
Protinus hoc patulo mihi succinis improbus ore.
Quòd si non castè, fiant tamen omnia cautè.
Quòd si non cautè, fiant tamen omnia castè.
Quòd si non castè, fiant hæc Bosse Knauate.

Anglicè significat (si sic loqui liceret) nebulonicè.

De

De D. Petro Martyre Florentino.

ABdita scripturæ si quis mysteria pandit
Doctè, is Martyr erit, vel (puto) nullus erit.

Ad D. Gualterum Haddonum.

O Haddone tuas, meditor dum scribere laudes,
Affigo chartæ dum calamumq; meæ:
Quid facis? insonuit tenuis vox auribus, heus tu:
Hoc, ait, officium est Calliopæa, meum.

Ad Chærilum nimio vino deditum.

NOn sunt acuti oculi tibi,
Quibus nocet vinum magis.
Hoc indies crescit malum.
Ni abstemius sis Chærile,
Vel cæcior talpis eris.
Quid hoc, ais? bibam parum.
Bibas parum: nimium est parum.
Bibas minus: nimium est minus.
Bibas minimum: nimium est & hoc.
Bibas nihil: minimo hoc minus.
Minimo minus nihil, nocet
Nihil: tenes? placet? sapis.

Ad Christophorum Gudmannum.

NEmo bonus, Servator ait, sed solus Olympum
Qui regit, is bonus est: Gudmane, Nemo bonus.

In scortatores & carnis impuritati deditos.

TVrpiter ante homines agere annon vos pudet? Est sic:
Ante homines pudet, & non pudet ante Deum?

Ad D. Ioan. Scorœum Episcopũ Ciceſtrenſem.

Doctus es in ſacris, non indoctúſq; prophanis:
Nulla Scoræe tuis moribus eſt ſcoria.

In Whitũ papicolam, latinè Candidum.

Si noſter Martyr non eſſet Candide Martyr,
Nunc fieret Martyr dentibus ille tuis.

In eundem.

Candidus es certè, nec Candidus es: rogitas cur?
Nomine Candidus es, moribus at niger es.

Clariſſimorum puerorum Henrici & Caroli Ducum Suffolciæ, Epitaphion.

Fratres Amyclæi Pollux cum Caſtore
Potuere ſic cum morte depaciſcier,
Vt cum alter illorum eſſet mortuus, tamen
Alter ſupereſſet, & reuerſis ſortibus
Viciſſim vterq; vtriuſq; morte viueret.
Cur parca nunc crudelior eſt, quàm olim fuit?
Fratres duos nuper ea, quales hactenus
Nec vidit vnquam, nec videbit Anglia,
Lumina duo, duoq; propugnacula
Fortiſſima virtutis, reiq; publicæ,
Crudelis ab vno perêmit funere.
Virtus nequaquàm illam, nec egregia indoles
Mouit, nec Edwardi regis, nec optimæ
Matris, neque totius gemitus Britanniæ.
O dura dura Mors, ô ſæua numina.

Aliud.

Qui modo diuini deflebant fata Buceri,
Pererudito carmine.

Horrida

Horrida ſenſerunt quid poßint fata, perempti
Immiti vterq; funere.
Quis rebus credat fluxis, Mors liuida fratres
Tales ſimul quando auferat.

Aliud.

VNa fides viuos coniunxit, relligio vna,
Ardor & in ſtudijs vnus, & vnus amor.
Abſtulit hos ſimul vna dies, duo corpora iungit
Vna vrna, at mentes vnus olympus habet.

In Tiburtium Laurigium Totelhaymenſem, hominem inuidiſſimum.

LAurigij faciem cum contemplare, furentis
Nonne vides planè Gorgonis effigiem?

Hoc ſequens Tetraſtichon à me præfixum eſt diſtichis in Nouum teſtamen.

QVi ſacra diuini myſteria diſcere verbi
Percupis, & memori mente tenere Nouum:
Hæc pauca ediſcas Schepreui Diſticha, compos
Sic fies voti lector amice tui.

Ad Guidonem Hetonum.

QVàm ſint legendo torpidi,
Quàm ſint docendo frigidi,
Verbi miniſtri plurimi,
Incognitum non eſt tibi
Hetone mi chariſſime.
Nec eſt id obſcurum mihi,
Quod luminibus madentibus
Scribo. Ergo erunt partes tuæ,

Hos admodum mutos canes
Hortari, vt ista Disticha
Ediscere q̃ primum velint.
Non pœnitebit paucula
Hæc edidicisse carmina.
Hortator esto sedulus.
Ioan. Hoperus. *Episcopo sic optimo,*
Illisq̃ rem gratissimam
Facies: tua sic conamina
Magno Deus cum fœnore
Panomphæus pensauerit.

Ad D. Ælmerum, Haddonum, Chæneium, Philpotum, Philippum, post disputationes Londini habitas. 1553.

POtissimum petatis à Deo duo:
Ne Dæmones vobis noceant, ne Episcopi.

Ad Deum optimũ max. precatio, cum constituissem Oceanũ transmittere. 1554.

NEscio quid mihi mens præsagit adesse malorum,
Nescio quid sperem, nescio quid metuam.
Quicquid erit, Deus alme tua me protege dextra,
Carnifices perdant me neque Pontifices.

Ad Cotylum sacrificũ, cum Papismus inualesceret in Anglia. 1554.

CVr fugit hinc rogitas præconum turba piorum?
Denuo pugnabunt Cotyle, qui fugiunt.

Ad Vxorem.

ME vigilare mones, nec sic obtundere cessas:
Nil dum dormitum est, & vigilare mones?

Ad

Ad Thomã Robertum Swindoniæ paſtorem.

IPſe tibi fidas, alijs confidito paucis,
Vel nullis, ſic tu decipiêre minus.
Fidus in aduerſis vix nunc reperitur amicus,
Phœnice & cygno rarior ille nigro eſt.

Deus.

ILle ego, qui Reges rego, Reginásq; potentes,
Qui conſeruo pios, tumidoſq; retundo tyrannos.

Ad Ioan. Eſtwicum.

HÆi mihi, diſiungunt nos pluſquàm ferrea fata,
Nóſq; ſinunt vno non habitare loco.
Corpora diſiungant, animos diſiungere nunquàm
Poſſunt, hos minimè ladere fata queunt.
Intereà valeas, pars maxima pectoris huius:
Heu Eſtwice iterum quando videnda mihi?

Ad amicum quendam.

AMe cur locuples ſubitò ſit Cleua relicta
Quæris? præ Chriſto ſordida Cleua mihi.

Ad Deum opt. max. precatio. Scripſi in naui, tranſmarinas petens plagas.

DOlos malignè qui ſtruunt,
Noſtramq; vitam quæritant,
Ne præualeant nobis Deus.
Funes eorum rumptio,
Laqueos cruentos ſcindito.
Ab hoſtibus ciuilibus,
Et exteris Britannicum
Regnum miſericors libera.
Prænobiles viros bonos,

Prænobilésq; fœminas,
Elizabetham principem,
Suffolciæ & meam Ducem
Deum colentes, rictibus
Lupi, Leones, Tygrides
Immanibus ne deuorent.
Aures petitionibus
Præbe benignas ô Deus,
Propter tuum natum vnicũ.

Ad Valerandũ Pollanũ, cum vnà essemus Coloniæ.

MI Valerande cucullatis confidere noli,
Fratribus in falsis magna pericla latent.

Ad D. Christophorum Montium Argẽtoratensem.

ARgentinensis salueto ingens decus vrbis.
Nos natale solum, nos dulcia liquimus arua,
Regnat vbi Pharisaismus, stoliduſq; papismus.
Vestram vrbem studijs nostris optamus asylum.
Si qua in re nobis poteris modò gratificari,
Non infidum Anglis rogo te experiamur amicum.
Sic vestras Deus ô Monti res rite sequundet.

Ad Ioan. Sturmium.

QVantum Ciceroni debuit gens Itala,
Tantum ferè Sturmi Cicero debet tibi.

De Iohanne Sapido.

CHristum sapit Sapidus : sapit.

Ad Mic. Toxitem.

TOxica Toxites noceant tibi nulla : nocebunt
Pessima, ni caueas, toxica papiginæ.

Ad

Ad Valentinum Erythræum.

Quisquis tuas tabulas legit
Scriptas fauente Apolline,
Is diligentem, industrium,
Doctumq; te agnoscit virum.

Ad Ioan. Burcherum.

Si nostrum mendis fœdatum fortè libellum
Burchere offendas, dissimulans legito.
Non equidem solus, quis enim non sæpius errat?
Humanum errare est: quilibet errat homo.

In quendam.

Est dominus ne domi tuus, inquis: vah, nequeo esse
Servus, multorum qui fuerim dominus.

Ad Rod. Gualterum Tig. amicum veterem.

Vt attrahit ferrum lapis Magneticus
Ad se, trahit Tigurum vsque sic me amor tui.

Ad D. Ioan. Ponetum nuper Episcopum Wintonienſem.

Salueto nuper præsul, Præsulq; futurus,
Namq; breui Stephanus Præsul (puto) desinet esse.

In Stephanum Gardinerum.

Non errat Antichristiana Ecclesia.
Christus mediator est, tamen non vnicus.
Licet minimè vxores ministris ducere.
Susceptа vota non licet rescindere,
Sint stulta quamlibet: Britannæ Ecclesiæ

Est Ausonius caput supremum pontifex.
Missæ bonæ sunt, sunt satisfactoriæ.
Colendus est nobis Deus panaceus.
Parua repostus est Iesus pyxide.
Hæc esse vera dicis axiomata.
Mentire Præsul, scis quoque te mentirier.

Salua semper pontificia dignitate.

Ad Lectorem.

Hoc argumento concionatoribus
Os obstruit præsul bonus iste scilicet.
Doctis & horum sic rationibus obuiat.
Mentire sanè, scis quoque te mentirier.
Et cum lubet: quid ni lubeat sæpissimæ?
His argumentis vtitur fortissimis,
Igni, laqueo, mucrone, fædo carcere.
O pontifex ipso Nerone Neronior.

Argumēta alia fortiora.

In ditissimum quendā Archipapistam Euangelij osorem, & Euangelicorum hostem acerrimum.

Cuiusdam anima fætet papistæ maximi,
Vt ferre vix quisquam queat mortalium.
Anima eius at fætet coràm Deo magis.

Epithalamion Philippi Hispani, & Mariæ Anglæ, ab Episcopo Vuintonienſi scriptum.

Nubat vt Angla Anglo regina Maria Philippo,
Inquè suos fontes regia stirps redeat.
Non vult humani generis Dæmon vetus hostis
Sed Deus Anglorum prouida spes voluit.
Non vult Scotus inops, timidúsq; ad prælia Gallus:
Cæsar, & Italia, & Flandrica terra volet.

Non

Non vult hæreticus, ſtyrps Cayphæ, pontificum grex,
Pontificum ſed grex catholicus voluit.
Octo vxorati patres in Dæmone nolent,
Quinque cathenati pro pietate volent.
Non vult Ioannes Dudley Northumbrius vrſus,
Sed fidum regni conſilium voluit.
Non vult ætatis noſtræ Catilina, Viatus,
Sed proceres, & plebs, & pia turba volet.
Non vult Graius Dux, & Cantia turba rebellans,
Nos quoniam Dominus ſic voluit, volumus.
Clarior effectus repetit ſua limina ſanguis,
Quando Philippo ſit iuncta Maria ſuo.

Reſponſio mea prior.

EXterno nubat Maria vt Regina Philippo,
Vt ſint pulſa ſuis ſceptra Britanna locis:
Vult Dæmon generis noſtri antiquiſſimus hoſtis,
Anglorum non vult anchora ſola Deus.
Nolunt hoc Galli, nolunt Scoti armipotentes,
Vult Cæſar, Flandrus, vult Italus Golias.
Vult grex Pontificum, ſtirps Cayphæ, turba bicornis,
Non vult ſanctorum ſed pia turba patrum.
Nolunt octo, quibus ſunt vincla ingalia curæ,
Quinq. cathenati Dæmonis arte, volunt.
Hoc nec tu prorſus Dudlæe animoſe volebas,
Inuitum regni conſilium voluit.
Dedecus hoc non vult fortiſſimus ille Viatus,
Inuitus populus, ſic proceresq; volent.
Vos vultis quoniam ſemper mala cuncta voletis,
Non vult Graius Dux, nec pia turba volet.
Quo tulit Hiſpanus rex ergò commoda ſecum,
Reginæ ſocias cum dedit ille manus?

Alia reſponſio mea.

Hiſpano nubat Maria vt regina Philippo,
Extirpetur ſtirps vt quoque Nobilium:
Vult pater id veſter diſturbans omnia Dæmon,
Non vult Anglorum ſed pater Altitonans.
Non vult belli potens Gallus, non vult Scotus acer,
Vult Cæſar, Flandrus, Papicolæq; volunt.
Grex mitratorum vultis, Cayphæ ipſa propago:
Non vult ſanctorum ſed pius ordo patrum.
Nolunt octo, pios qui iure colunt hymenæos,
Quinq; cathenati pro impietate volunt.
Dudlæus minimè voluit Northumbrius Heros,
Cui ſua perchara eſt patria, nemo volet.
Libertatis amans non vult bonus ille Viatus,
Non proceres, non plebs, nec pia turba volet.
Vos vultis, pietas qui vultis vt exulet omnis,
Non Graius, ſed nec Cantia turba volet.
Ergò magis clarus quî ſit (rogo) ſanguis auitus,
Quando iugali ſit iunctus vterq; thoro?

Voluptatis comes pœnitudo.

Blanditur primo veniens fucata voluptas:
Mox fugit, vſque comes ſed Metanæa manet.

Ad G. Colum.

De Bullingero, Bibliandro, Martyre, Zancho,
Et de Gualthero, Geſnero, de Pelicano,
Noſtrum iudicium ſi forſan Cole requiris:
Hos ego doctrina eximios, pietate graueſq;
Iudico, quîs ſimiles perpaucos hic habet orbis.

Ad

Ad eundem.

HOs inter meritò potui numerare Philippum,
Caluinum, & optimũ, doctũq; Musculum.
At quià de facie non noram, illos reticebam
Silentio, notos mihi recensui.

Postea Caluinũ non solum vidi, sed & magna mea cum voluptate sum alloquutus.

Ad Ioan. Wolphium Tigurinum.

NE Lupus in sanctum Christi grassetur ouile
Strenuè agis Wolphi: Quî Lupus esse potes?

Ad Ioan. Frisium Tig.

REm mihi feciſti pergratam candide Friſi,
Quòd dulce vinum miseris.
Non opis est nostræ pro grato munere grates
Pares referre, verùm ago.
Dulce fuit vinum & gratum, sed dulcior esset
Et gratior aduentus tuus.

Ad Ioan. Vlmium.

AB ædibus cum digrederer Vlmi tuis,
Diuerteram ad meum Gualterum habens nouos
Ex Anglia missos mihi (vt scis) calceos.
Quid (ait hic) adfertur nouorum ex Anglia?
Noua (inquàm) habeo Gualthere. Quæ sient, rogat.
Tunc ego: habeo nouos (noua hæc sunt) calceos.
Atque ecce, verbis si fidem non das meis:
Simul latentes protuliq; calceos.
In risum hic est solutus, ast gaudebam ego
Nouis meis, tritis coactus anteà
Vti: nouas his peiora ne det Anglia.

Ad Rod. Gualterum in vindemia.

CErtatim cum alijs maturas colligis vuas,
Ipsius iners non tam colligo, quàm comedo.

Ad Edouardum Frenchamum.

Papisticit.

QVisquis præsulibus minimè placet, haud malus est vir:
At quisquis placet his, vix ego credo bonum.

Ad Candidum.

DVracina ipse voras ceraſa, lapides quoque duros:
Candide dura voras, Candide dura cacas.

Ad D. Ioan. Sanfordum Gloceſtrenſem.

PRædia, opes, villas, patriam natòſque relinquis
Pro Chriſto, Chriſtus reddet at aſtra tibi.

Ad D. Ioan Harlæum nuper Epiſcopum Herfordienſem, in calce epiſtolæ.

VRbs habet Heluticæ me nunc primaria gentis,
Vrbs planè armipotens, pacis amica tamen,
Vrbs fæcunda pijs verbi præconibus, atri
Vrbs expers odij, cædis, auaritiæ.
Vrbs, è qua pulſa eſt venus, Ate pulſus Iacchus
Vrbs minimè flagrans ambitione, dolo.
Vrbs, quæ blaſphemos punit, liteſq; reſoluit,
Vrbs pietatis amans, iuſtitiæq; tenax.
Vrbs Euangelij quæ plantat dogmata ſacri,
Vrbs, in qua nulla eſt fæda ſuperſtitio.
O ſi olim talis tellus Brittanna fuiſſet,
Extera regna piis non adeunda forent:
Non lugenda eſſet nobis ſors dura, quieti
Poſſemus patrios incoluiſſe lares.

Angli

Anglia clara fuit, non esset in ore popelli,
Angli nos fuimus, vox quoq; rara foret.
Da Deus exilium, vt toleranter ferre queamus.
Simus & Anglicolæ, vel magè Calicolæ.

Ad eundem.

VIuo Tigurinos inter humanissimos,
Quibus velis vix credere quantum debeam.
O quandò Tigurinis reponam gratiam?

Ad Conradum Gesnerum.

INcomparabilem doctrinam non satis
Mirarier possum tuam:
Namque est tibi absoluta Cyclopædia,
Liuore vel ipso iudice.

Ad Huldricum Zuinglium, magni illius Zuinglii filium

DOctrina, morum probitate, animoq. virili,
Si lubeat superare alios Huldrice, patrissa.

Ad Conradum Gesnerum.

MVltùm gauisus sum, dolui multum quoque,
De sarcina huc missa vt mea, sed non mea,

Ad Rod. Gualterum.

CAseus Helueticis formatus in Alpibus, abs te
Mittitur in strenam chare Rodolphe mihi.
Sedibus à patriis profugus nil mittere possum
Te dignum, miserum sic Dea cæca premit.
Viue, Sybillinos, & vincito Nestoris annos,
Gloria amicitiæ, lausq; decusq; meæ.

Ad eundem.

Quadrangularem caseum
Donas mihi pro strenula.
Ter quattuor pro caseo
Dono Rodolphe carmina.
Videlicet do χάλκεα.
Cum tu dederis mî χρύσεα.

Decem plagæ Ægypti. Exod. 7. 8. 9. 10. 11. Expectent etiam certò suas plagas, quicunq; verbo Dei aduersantur, & pios crudeliter adfligunt.

Primum sanguinei latices, post rana coaxans,
Tum ciniphes, muscæ, deinde lues pecorum.
Vlcera, grando, locusta vorax, spissæq; tenebræ,
Mors primogenitûm finit atque plagas.

Ad Ludouicum Lauaterum.

Cur Harleus doctissimus,
Pius vir, humanissimus,
Episcopatum linquere
Siet coactus, accipe.
Ingens patrauerat scelus,
Dirum scelus, nefarium,
Immane, detestabile,
Abominandum, & insolens.
Dignum scelus suspendio,
Dignum scelúsq; incendio,
Sunimi Iouis sue fulmine.
Scelus quod expiarier
Vix credo posset, vel sacri
Laticis, salísue aspergine.
Vixit pia cum coniuge.

Cum

Cum aliquot Angli excelsissimũ propè Tigurũ conscendissemus montẽ, vbi instar mensæ ingens statuitur saxum, rogabat me Thomas Crauulæus vt vnum vel alterum carmen conscriberem, quod saxo insculpi posset. Hæc igitur ex tempore verius effutiui, quàm scripsi.

Hvic insculpserunt Angli sua nomina saxo,
Charam qui patriam deseruêre suam.
Deseruêre suam patriam pro nomine Christi,
Quos fouet vt ciues vrbs Tigurina suos.
Vrbs Tigurina pijs tutum se præbet asylum,
O dabitur grates quando referre pares?

Ad Ioan. Iucllum.

Qvod sum pollicitus, perquàm præstabo libenter:
Quod sum pollicitus, iure rogare potes.

In titulo tenus Episcopos.

Qvicunq; sunt Episcopi
Mitris, tiaris, pallijs,
Albis amicti vestibus,
Clari annulis, clari pedis,
Populum nec interim docent,
Sed si docent, mendacia
Tantum docent fœdissima,
A queîs fit vsque plurimi
Fucata meretrix Falsitas:
A queîs vbiq; exploditur
Matrona simplex veritas.
Quicunq; sunt eiusmodi,
Hos dixeris Episcopos,
Quales sed (oro) Episcopos?
Episcopos titulo tenus.

In Stephanum Gardinerum.

Romulidûm bona ſpes producant ſtamina Parcæ
Viuida nec fatum ſit tibi præproperum.

Ad Lectorem.

A Fine lector incipe:
Eſt diſtichon retrogradum.

Oratio ad Deum opt. max. vt ſuos à ſceleratis & maleficis hominibus defendat. Pſal. 10.

O Deus à nobis cur tam procul oro recedis?
In tantis cur nos deſeris atque malis?
Cur ſinis immanes in nos ſæuire tyrannos,
Nobis qui laqueos inſidiáſq; ſtruunt?
In laqueos recidant, alijs quos antè parárunt,
Et ſcelerum pœnas improba turba luat.
Vltrices extende manus, duróq; flagello
Cædito, qui vexant dilaniantq; tuos.
Vnica ſpes ſolus, ſacra anchora, ſolus aſylum,
Auxilium, miſeris ferto benignus opem.

Ad D. Henricum Bullingerum.

QVi bene te nouit, nec amore amplectitur, ille
Certè in Caucaſeis montibus eſt genitus.

Ad Ioſiam Simlerum, qui mihi Epitomen ſuam in Bibliothecam Geſneri dono dedit.

CVm patrios fugerem (ſic fata tulere) penates,
Sat fuerat locuples Bibliotheca mihi.
Finibus in patrijs mea Bibliotheca relicta eſt,
Libros vix binos extuleram comites.

Das

Das mihi Geſneri, imò tuam das Bibliothecam,
Num magis eſt locuples Bibliotheca mea.

Ad eundem.

ANtè libros numero potui comprendere certo:
Das librum, nequeo iam numerare libros.

Ad eundem.

SI quot ſunt libri, totidem eſſent & mihi libræ,
Cræſus præ me eſſet pauper, & ipſe Midas.
Si quot ſunt libri, totidem eſſent & mihi libræ,
Pro libro libras mille, ſupráq; darem.
Cum deſunt libræ, pro libro carmina dono,
Hæc præter nullas nunc habeo exul opes.

De verbis Apoſtoli. 1. Tim. 3.

EPiſcopatum qui appetunt, opus bonum
(Vt Paulus ait) deſyderant.
Epiſcopatum iam dierum qui appetunt,
Opes bonas deſyderant.
Nolunt opus, volunt opes: nolunt onus:
Volunt honorem, non onus.

Ad Rod. Gualterũ, & Rod. Woulichium.

CVi non placent mores tui
Gualthere, tuiq; Vuoulichi,
Honeſti & integerrimi,
Is viuat inter Tigrides,
Et inter immites feras.

Ad amicum quendam.

SI valeas belle eſt nos hîc vtcunq; valemus:
Tantum deeſt pecunia.

Ad Conradum Clauſerum.

ET ſi te nunquam vidi Clauſere, tamen te
Non paruo amore proſequor.
Me quoque de facie ignotum tibi mutuò amato,
Inter tuoſque adſcribito.

Ad Ioan. Iacobum Wickium.

SVnt mirè pauci paſtores, at bene multi
Sunt impoſtores: O grauis ira Dei.

Ad Wolphgangum Hallerum.

SCis quarè hæc conſcripta mihi Ludicra fuere?
Tædia vt expuerem, mœſticiaſque graues.

Ad Conradum Geſnerum medicũ inſignem.

NÆ tu ſtupendis plenus es virtutibus
Geſnere: te conſpexit vxor vt mea,
Morbus fugit, vires ſtatim recolligit,
Et ſanitati eſt reſtituta priſtinæ.
Virtus quidem prodibat ex te maxima.
In tam tenui quis crederet corpuſculo
Tantam latere vim? Quis inquàm crederet?
Tantum tua ſi effeceris preſentia,
Quid pharmacis opus? ipſe cum ſis pharmacum.

Cum ſomniaſſem Stephanum Gardinerum mortuũ fuiſſe, expergefactus hoc carmen ſcripſi ad Anglos, quos adhuc tangit gloria Chriſti, amor Euangelii, & ſalus patriæ.

SOmnia vana puto, puto quòd fax Anglica viuat,
Et viuet, nobis ſit niſi vita noua.

Ex

Ex tetro viuunt animantia multa veneno,
Viuit is ex noſtris ſic quoque criminibus.
Hic Stephanus domini eſt feruentis virga furoris,
Qua ſtudet à prauis nos reuocare vijs.
A Domino imploremus opem, malefacta faceſſant:
Lumina perpetuis noſtra rigentur aquis.
Audiet aſſiduas tandem placida aure querelas,
Tradet & æternis talia monſtra rogis.

NEMO loquitur ad Edmundū Bonerum.

OMnes Epiſcopum eſſe te dicunt malum:
EGO tamen Bonere te dico bonum.

Ad Ioan. Iuellum.

COctæ præſulibus non ſunt gratæ (puto) carnes,
Aſſatæ, toſtæ ſed magis hoſce iuuant.
Si mihi non credas narranti vera Iuelle,
Hoc potes à toſtis diſcere Martyribus.

In Edmundum Bonerum.

O Maria, ô tellus, clamas Bonere, miniſtros
Quòd iuuet in caſto viuere coniugio.
Papiginæ fœdant aliena cubilia, ſcorta
Plurima habent: Hæc ſunt nota tibi, atque taces.

In Thomam Martinum

NOn conuenit ſacro ordini ſacer thorus
Martine ais: quid? Conuenit ſcortatio?

Deus afflictos & humiles ſeruat, contumaces autem & ſuperbos deprimit. Pſal. 18.

TV populum afflictum, ſe ſubmiſſeq; gerentem
Seruas, ſublimes deprimis atque oculos.

Ad D. Anthonium Cokum.

VT tueatur opes, non curat iussa tenantis
Anglosaxonici plurima turba soli.
Æternas sed opes amittit non bene cauta
Dum curat fluxas vt tueatur opes.

Ad Rod. Gualtherum in thermis lauantem.

HAs ponderosas litteras
Bene tinnientes attulit
Notus tibi Marcolphius.
Has ipse credens aureas,
Ad te sine mora miseram.
Tun' esse ais has vitreas?
O quanta transformatio,
Cum fiat ex auro vitrum.

Ad eundem.

DIcitur esse ferus tuus hic Marcolphius vrsus:
Caueto ab eius dentibus, sed & vnguibus.

Ad eundē lauantē in thermis Vrdorphiensibus.

INcolumem si te reddat vrdorphia, vicus
Illæ mihs Europæ totius instar erit.

Ad Ioan. Frisium ibidem lauantem.

EXteriora laua non segnis aluminis vndis:
Vt totus madeas, interiora laua.

Ad eundem.

TE lauet exterius Neptunus, Bacchus at intus,
Gaude, corride, collue, viue bibe.

De

De Marrano.

Marranus malus est seruus, peiórq; sodalis,
His & quod peius, pessimus est dominus.

Conquestio de corruptissimis seculi huius moribus, & supplicatio pro salute piorum, qui ab improbis vexantur: quibus Deus pollicetur opem. Psal. 12.

QVi regis æthereas sedes, terramq; fretumq;,
Serua nos famulos respice quæso tuos.
Inter mortales regnant simulatio, fraudes.
Nulla est iam probitas, nulla relicta fides.
Omnes vera tacent, omnes mendacia fingunt,
Ore aliud dicunt, corde aliudq; premunt.
Omnibus os blandum, duplex cor: lingua dolosa, &
Grandiloqua iratum sentiet esse Deum.
Lingua superborum nullum se iactat habere
Aut regem aut Dominum: Quàm furit impietas?
Adflictos propter, propter gemitumq; piorum,
Nunc nunc exurgam, Rex ait omnipotens.
Seruabo adflictos, hos restituamq; saluti,
Nil poterit verbis certius esse meis.
Ergo tyrannorum sæuissima tela repelles.
Præsidio viuet gens pia tuta tuo.
Imperio licet iniusti potiantur vbiq;,
Indignis sanctos exagitentq; modis

Ad Angliam.

ANglia furcatis nimium ne fidito mitris:
Dic rogo, num seruus sum tibi præmonitor.

De Stephano Gardinero, & Ioanne Poneto, Episcopis Wintonienſibus.

Pontifices iſtos hoc eſt diſcriminis inter:
Aſſerit hic verum, perfidus ille negat.

Stephani Gardineri Epitaphion.

Act. 7.

Obruitur Stephanus ſaxis, moritur q; lubenter:
Hic moritur, quoniam viuere non potuit.

Aliud eiuſdem Epitaph.

Dogmata dum ſatagis delere perennia Chriſti,
Dum commenta hominum noxia vbique ſeris:
Exilio, gladio, dum ſæuis carcere, flamma,
Dum vafra patriam prodis & arte tuam:
Abſtulit horrenda Chriſtus te morte furentem,
Exemplo caueat turba papæa tuo.

Hæc tria ſequentia Epigr. præfixa ſunt dictionario Latino Germanico Ioan. Friſij Tigurini.

Quiſquis Teutonicam, quiſquis cupit atque latinam
Vna opera linguas perdidiciſſe duas:
Lectitet iſtud opus, quod Friſius arte poliuit,
Friſius ingenio clarus, & eloquio.
Maxima huic meritò debetur gratia, quòd ſic
Haud ceſſet ſtudijs conſuluiſſe bonis.

Aliud ad Lectorem.

Friſius & Stephanus magno peperere labore
Hoc magnum magnæ commoditatis opus.
Quarè ne ceſſes his omnia læta precari,
Et dicas, viuant Friſius & Stephanus.

Aliud.

Aliud.

DEsunt forsan opes, est forsan curta supellex,
Hoc coëmatur opus, lector habebis opes.
Copia verborum latet hîc, & copia rerum,
Copia vel gazis anteferenda Midæ.

Ad Rodolphũ Collinum, qui in ebrietatẽ scripsit.

ESt descripta bono mala res tibi carmine, vates
Iure bono poteris esse Coline bonus.

Ad Ioan. Frisium.

FRisius è nostro rapietur pectore, cœlum
Quum ruet, & pariet parua locusta bouem.

Ira Dei aduersus pios breuis. Consoletur hoc exules Anglos. Psal. 30.

NVminis ira breuis, bonitas pia gaudia præbet:
Est Nox tristis? erit postera læta dies.

Ad Rod. Gualterum.

VT Gualtere tui possim obliuiscier, amnis
Quærendus est Lethe mihi.

Oratio ad Deum, vt piorum, imò suam ipsius causam defendat. Psal. 74.

EXurgas Deus, & propriam defendito causam,
Fœdi, quo afficeris, sis memor opprobrij.
Impia conserues memori conuicia mente,
Contrà te augescunt quæ magis atque magis.

In quendam.

QVis prior inter nos esset, certauimus olim:
Vt sis posterior nunc in amore, studes.

In I. Estphalum.

EX scriptis scimus qui sis, non nouimus antè:
Si sapias, posthac Estphale scribe nihil.

In eundem.

MOmum, Liuorem, furias imitaris ad vnguem:
Immeritò insontes carpis, edis, laceras.

In eundem.

ÆTatis non fers clarissima lumina nostræ:
Virtutis comes est Estphale liuor iners.

In Edmundum Bonerum.

CVm te genuerit sacrifex Sauigius,
Dic vnde Boneri rogo nomen tibi?

In eundem.

CVr tot mobilibus torres pia corpora flammis?
An porcos, Christi viuida membra putas?

Clarissimi viri D. Conradi Pellicani Epitaph.

ORnatissimus ille Pellicanus,
Humanissimus ille Pellicanus
Linguæ assertor & ille Pellicanus
Hebræa, varia eruditione
Excultus, iacet hîc senex in vrna.

Hæc duo sequentia Epigrammata præfixi dictionariolo Ioannis Frisij Tigurini.

PArue puelle librum lege, perlege, volue, reuolue,
Offert quem clarus Frisius ecce tibi.

Consulo

Consulo vt iste comes siet indiuulsus vbique,
Vtilius studijs nil ego credo tuis.

Aliud.

PAruo parue puer licebit ære
Non paruã tibi comparare gazam.
Paruum scilicet hunc emas libellum,
Quem dat pectore candido, ac benigno,
Doctus Frisius, ille Frisius, qui
Doctæ consulit vsque & vsque pubi.
Nec paruo hunc peperit labore fætum.
Tu summum precibus Deum fatiges,
Viuat Tiresiæ, Sybillæ & annos.
Paruo parue puer licebit ære
Non paruam tibi compare gazam.

In imaginẽ D. Petri Martyris Florentini.

FLorida quem genuit Florentia, Martyris ista
Effigiem Petri picta tabella refert.
Doctrinam, ingenium, dotes animiq; stupendas
Non posset Cicero pingere pro meritis.

Ad eos, qui Christum, & sacrosanctum eius Euangelium abnegarunt.

QVi coràm mundo Christum sine fronte negatis,
Vos Christus coràm patre negabit item.
Ergo vel tandem sapite, & resipiscite: Christus
Vos vocat: ad Christum vosne redire pudet?

Ad Christianum.

SI bonus esse velis, hoc vnum velle memento:
Velle tuum noli, velle veliq; Dei.

Ad vxorẽ, quæ ollã plenã herbis in fenestra posuit.

VT sit odor fragrans, herbæ plantantur in olla
Abs te: olidum vt crescant ingeris atque simum.
Tolle simum, vel tolle herbas, vt tollito vtrumq;:
Quàm bene olent herbæ, tam simus ipse male.

Ad Cupediarium.

MErulas, coturnices, alaudas, passeres
Apponis Olno rustico, huic & dissplices.
Si quis simul triginta deuorauerit,
Non (inquit) esse possit ijs tamen satur.
Tales auiculas edant mulierculæ.
Magnæ parentur, perplacent magnæ mihi.
Has ore, ventre, sentióque gutture.
Nescis inepte adhuc quid illi arriserit?
Miluos, aquilos, coruos, bubones, vultures
Apponito, placebis, isq; erit satur.

In Clytum.

Mic plumis vti solet in pileo.

SOrdidus es Clyte, pileolum qui non bene verris:
Est plenus plumis scilicet ille vagis.

De Crescente.

CVm pisa edit, siliquas simul Crescens edit:
Quantam suis iniuriam porcis facit?

D. Ioan. Poneti Episcopi Winton. Epitaph.

E Patria exul eras pro Christo docte Ponete:
Cum Christo optata nunc frueris patria.

In Ric. Smythæum notarium de votis scribentẽ.

LEctus nuper erat mihi libellus
De votis obiter tuus, loquendi

Rarus

Raris & varijs modis refertus.
Tantum profero duos sequentes.
ID CERTE INFICIAS EO, eleganter
Dixti: ERRORIBVS INQVE OVILE CHRISTI
IRREPSIS: sed & eleganter illud.
Tu exornare potes tuos libellos
Istis floribus, elegantijsq;.
Nobis non licet esse tam disertis.

In fronte libri D. Thomæ Cranmeri Archiepiscopi Cantuariensis, in quo respondet sophistæ Steph. Gardinero Scripsi in gratiam D. Ricardi Coxi.

ACcipe præclarum lector studiose libellum,
Quem tibi Cranmerus scripserat ante rogos.
Hic docta sanctam tractat ratione synaxin,
Insistens, Patres quas docuere, vijs.
Hic Gardnere tuas phaleratas detegit artes,
Detrahit & laruam sæue tyranne tuam.
Atque tuo ipsius iugulum transuerberat ense,
Vt iaceas veluti sensibus absque fera.
Denique rixosis hic obstruit ora papistis,
Rixandi posset si tamen esse modus.
Soluitur in cineres corpus, mens scandit ad astra,
Fama superstes erit tempus in omne memor.

In Suthallum.

CVr Euangelium scelerato conspuis ore?
Huic qui non pâret, funditus ille perit.

Ad D. Richardum Bærtæum, illustrissimæ fæminæ Catharinæ Ducis Suff. maritum.

OBuolui mundum tenebris Bertæe dolere
Desine: namq; breuî tenebras lux clara sequetur.

Ad Theodorum Bibliandrum.

REx bonus est, quisquis bene se regit, imperiumq;:
Qui malè, non dignus nomine Regis erit.
Eduardus bene se rexit: regnumq; libenter
Recturus melius, si licuisset, erat.

Nimirum per etatem, multorum auariciā, & mortem præproperam. Sed si vixisset.

Ad Ioan. Fabricium Montanum.

NOuisse si desyderas quis Angliæ
Fuerit status, dum rex Edouardus viueret,
Accipito: tali Rege Regnum indignum erat.

In quendam.

ME ne auferre tuum dicis vir inepte libellum,
Quem tu, ne ferres, ieceris in foricas?

Ad Thomam Spenserum.

QVæ spes restet adhuc, quæ mens Spensere rogásne?
Pectore spem foueo, rem potius cupio.

Edouardi eius nominis sexti, Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ Regis, Epitaph.

CVm mors Eduardum rapuisset liuida Regem,
Iunxisset superis cum Deus huncq; choris:
Iosias adit, amplexatur, eumq; salutans
Sic ait, ô salue frater & alter ego.

Aliud.

REx, Regis natus, Regum decus, vnica Regni
Spesq; salúsque sui, conditur hoc tumulo.

Ad Ioan. Iuellum.

QVi mea habet, mihi nec dat egenti, mene amat ille?
Sese amat, & non me, res amat ille meas.

In

In quendam.

MItte mihi quodcunq; meũ est : misi, omnibus inquis:
Misisti in loculos scilicet ipse tuos.
Vt verbis mittis, sic re mihi mitte : alioquî
Et nomen prodam, perfidiamq; tuam.

In eundem.

INter præcipuos habebam amicos
Te ingratissime plurimis ab annis.
Expertus quoque sum satis fidelem.
Arrisit Dea tunc vtrisque cæca.
Quæ indulget tibi mater vt benigna,
Est hæc sæua modò mihi nouerca,
Quòd tam detineas diu meas res.
Non tam dura alioquî & acris esset.
Si reddas mea, sat fauebit illa.
Fac mittas igitur : necessitudo id
Poscit nostra, fides, amorq; noster.
Spretis omnibus hisce sed recusas?
Et multò mea chariora sunt me?
Hoc tu non facinus feres inultum.
Scribam in te Tragicos, trucésq; Iambos:
Quàm infidus fueris amico amicus,
(Credas) secula rescient futura.
Quod factum tamen esse ego ipse nolim.
Quod factum tamen esse tute nolis.
Famæ consulito tuæ, meaq;
Nolito (obsecro) lenitate abuti.
Quàm dives fuerim, vel ipse nosti.
Quàm pauper modò sim, vel ipse nosti.
Cuius solus es autor atque causa.

Tandem redde mihi meum: tuum quod
Est, non postulo. postulóne iustum?

Ad quendam.

OLim fidus amicus eras: persistito talis,
Nec dirimat nostram mundus amicitiam.

Ad Ioan. Iuellum.

REs credo perijsse meas, reliquum tamen est sat:
Christum habeo: an tu me non sat habere putas?

Sebastiani Gryphij Typographi Epitaph. Scripsi in gratiam Ioannis Frisij Tigurini.

TYpographorum in Gallia summum decus
Sebastianus hîc quiescit Gryphius.
Non hîc cubat totus tamen, pars optima
Hinc auolauit ad beatas Cœlitûm
Sedes, vbi haud dicenda gaudet gaudia.
Tantum potest virtutibus nitens Fides.

Aliud.

SIste viator iter, mora non erit hæc tibi longa:
Hinc quàm discedas, fac prius ista legas.
Gryphius hoc tegitur, gelido dormítq; sepulchro,
Dignus, qui in Pylios viueret vsque dies.
Vincit Gryphus Equos, Elephantos, vincit Hyenas,
Vincit Pantheram, Rhinocerota, Lupum.
Vrsorum vincit robur, rabiemq; Leonum,
Vincere sed solam non valet ille Tigrim.
Sic noster fragilis fortunæ spicula vicit,
Vicit & inuidiæ vulnera, spemq; suam.
Cætera vicisset cum Gryphius omnia, solam
Indomitam Mortem vincere non potuit.

Aurum

Aurum Gryphes amant rutilum, effodiuntq; cauernis,
Ex illo nidos conficiuntq; suos.
Gryphius at tanti non fecit, egentibus ille
Munificè semper distribuebat opes.
Desino plura loqui, ne sim tibi fortè molestus:
Hæc volui vt scires, carpe viator iter.

Ad Sebastianũ Guldebeckum in officina Typographica Andrææ Gesneri correctorem.

LVdicra si mendis sine vulgentur mea, nomen
Quod tibi designat, re mihi semper eris.

In fronte homiliarum Rodolphi Gualteri in Acta Apostolica.

MVlta relucenti debent hæc tempora Lucæ,
Et debet Lucas multa Rodolphe tibi.
Lux Lucæ luxit totum diffusa per orbem,
Lux Lucæ lucet nunc magè luce tua.
Ergo tibi Lucæ tantum qui luminis adfers,
Christus cum Luca lucida regna dabit.

Aliud ad Lectorem.

QVæ πράξεις fuerint Apostolorum,
Qui ritus veteres apúdq; patres,
Et quot, discere lector estne cordi?
Huc adsis, auido legantur ore
Hæc, quæ scripta vides pererudita,
Sacris eruta scripta quæq; libris,
Aut è patribus eruta orthodoxis.
Quæ multo peperit tibi labore
Gualterus, pietate clarus, atque
Doctrina, patriæ decus suæque

Præfulgens, celebres habendus inter
Scriptores: potes id negare liuor?
Laudes quid memorare pergo plures?
Vino vendibili haud opus virente
Est ſuſpenſa hedera: liber loquatur.

Pro poculo Friſiaco donato Hypocauſto ſtudioſorum, Tiguri.

DOnauit hoc argenteum
Poclum Ioannes Friſius.
Dediſſe mallet aureum,
Aetas ſed hæc non aurea eſt.

Aliud.

FRiſius hunc cyathum dono dedit, heus cyathiſſa
Quiſquis es, & liquidum ſedulus adde merum.

In librũ D. Conradi Geſneri de Piſcibus.

SI cupis omne genus piſces cognoſcere Lector,
Quos pater Oceanus nouit, & vda Thetis:
Quóſq́ ſub imperio Proteus, madidúſq́ Palemon,
Naiades, & Glaucus, Nereideſq́ tenent:
Non opus eſt leuibus cymbis, non puppibus altis,
Nec metuenda trucis cæca pericla maris.
Tutus at in terra, ſicco pede, nomina, formas,
Ingenia, & vires hîc didiciſſe potes.
Scilicet hæc iſto ſunt ſcripta volumine cuncta,
Quod tibi Geſneri ſedula cura dedit.
Hîc depingantur Xiphias, Balæna, Acipenſer,
Sæpia, Scombrus, Elops, Polypus, Vmbra, Lupus.
Bos, Thynnus, Congrus, Melanurus, Rhombus, Aſellus,
Chryſophrys, Sparulus, Mormylus, Orphus, Acus.
Delphinus,

Delphinus, Scarus, Hippurus, Box, Tænia, Mullus,
Salmo, Trutta, Pagrus, Lucius, Orca, Lepus.
Coccyx, Lolligo, Canis, Astacus, Ostrea, Pecten,
Purpura, Sarda, Leo, Channa, Patella, Draco.
Denique quod mirum tibi possit iure videri,
Hic Monachos pisces, Pontificesq; leges.
Talia monstra fremens vasto sub gurgite Pontus,
Talia terra fouet monstra nephanda magis.
Quisquis non videt immensos huic esse labores
Impensos operi, næ videt ille nihil.
Pro meritis Gesnere tuis, meritas tibi grates
Doctorum nunq̃ turba referre potest.
Attamen ille potest, & vult, qui solus Olympum
Condidit, & Pisces, Oceanumq; simul.

Aliud.

OCeanum totum te lustrauisse putato,
Si lustres oculis hæc modò scripta tuis.

Aliud.

SI conuenirent in locum
Vnum Solinus, Plinius,
Stagiræus, Oppianus, &
Naso poeta nobilis,
Wottonus, & Bellonius,
Doctusq; Rondeletius,
Et Saluianus Italus,
Cum cæteris, qui piscium
Pinxere vires, nomina:
Quid dicerent? Hoc dicerent.
Quis est, quis est Gesnerus hic,
Huiusce Phœnix temporis?
Qui nos tot anteit passibus.

Ad Ioannem Frisium.

PEntametrum mittis Frisi, breuis hercle poeta es:
Hexametrum mitto, Pentametrumq; tibi.

Ad eundem.

QVod semel est factum, si fiat sæpius abs te:
Tu mihi semper eris Pentametrosus homo.

In Rosinam Tyllariam.

VAldè putas te candidam,
Valde Rosina falleris.
Quæ obuoluitur nigra cute
Si candida est, tu candida es.

Ad hospitem Badensem.

HOspes chare vale, chara cum coniuge viuas
Annos Nestoreos, hospita chara vale.

In xiiij. Centurias Scriptorum Britannicorum à D. Ioanne Balæo conscriptas.

QVos peperit vario populosa Britannia nixu
Scriptores, præsens en tibi monstrat opus.
Quorum res gestas hîc cernis, nomina, dicta,
Libros, conatus, consilia, atq; obitus.
Hîc & pestiferi legis incrementa Papismi,
Rasorum sectas, stupra, venena, dolos.
Hoc lucubrauit opus doctissimus ille Balæus,
Irradians patriæ sydus & aura suæ.
Autori gratus sis lector candide, vitæ
Exoptesq; pio stamina longa seni.

Aliud.

QVi tot scriptores describis, iure vocari
Scriptorum scriptor docte Balæe potes.

In Edmundum Bonerum.

Sacrificus pater immundus, scortum tibi mater
Immundum, immunda religione tumes.
Quem Paulus mundum, tu immundum vis thalamũ esse:
Edmunde, Immundi nomen habere potes.

Ad Raynerium Wolphium.

Cvm tibi displiceant fraudes, auidæq́, rapinæ,
Immeritò vulpes diceris, atq; lupus.

In Institutiones Astronomicas, Iosiæ Simleri Tigurini.

Pinxit in ardenti radiantia sydera scuto
Pelidæ, celebris conditor Iliados.
Notitiam astrorum magnis heroibus esse
Rem scitu dignam significare volens.
Rex Atlas Lunæ docuit, Solisq; labores,
Quarè humeris Cœlum sustinuisse ferunt.
Dicitur armipotens inter fera prælia Cæsar
Cœli & stellarum sepe vacasse plagis.
Talia prædulci cecinit crinitus Iopas
Cantu, qui citharam tangere doctus erat.
His igitur minimè cum displicuisse sciamus,
Atq; alijs summa nobilitate viris:
Si sapias, uunq̃ pigeat studiosa iuuentus,
His animum studijs applicuisse bonis.
Non modo iucunda est ars hæc pulcherrima, verùm
Vtilis, id varijs experière modis.
Hunc librum gnaua si sedulitate reuoluas,
Tum cernes verbis pondus ineſſe meis.

Quem tibi doctrina clarus, clarus pietate
Simlerus scripsit, grato animoq; dedit.
Si placet hoc scriptum, placiturum sperat & author,
Post maiora dabit, post meliora dabit.

Ad amicos, quicunque & vbicunque sint.

SI me non animus fallit, nec fallere credo,
Vos aliquid de me discere velle scio.
Coniuge cum chara viuo: viuebat & Irus:
Hoc vobis nosse est sat, retulisse mihi.

Ad D. G. Maisterum.

HOmo bipes nuper fui,
Factus tripes nunc sum miser.
Quid istud est ænigmatis?
Fert claudicantem scipio.

Epicedion ἐκατόστιχον, in obitum reuerendi viri & clarissimi Theologi D. Ioannis Iuelli, Episcopi Sarisburiensis.

Authore Ioanne Parkhursto. N.

SI quod tempus erat lachrymis & luctibus aptum,
Si qua antehac iusti causa doloris erat:
Flebile nunc meritò est tempus, nunc causa dolendi,
Nunc madeant lachrymis lumina quæq; piis.
Occubuit sæua prostratus morte Iuellus,
Doctorum columen, gloria, fama, decus.
Sumite lugentes nunc tristia plectra Camænæ,
Nunc valeat lætum, triste sit omne melos.
Nil citharæ resonent præter lugubre canoræ,
Nil resonent aliud barbitos atq; lyræ.

Calliopæa

Calliopæa tuis defædes vnguibus ora,
Dilaceres crines mæsta Thalia tuos.
Vos pudeat Charites lætas duxisse choreas:
Pierides querulis nunc vlulate modis.
Et tu Phœbe, inter Musas qui dulce canebas,
Nunc trisli canito tristia cuncta chely.
Occubuit sæua prostratus morte Iuellus,
Doctorum columen, gloria, fama, decus.
Plangite vos Nymphæ, colitis quæ littora, ripas,
Nempe decet madidas vos habuisse genas.
Vmbrosæ gemitus nunc mæstos edite sylvæ,
Quas habet innumeris terra Britanna locis.
Frondibus in densis quæ cantas dulcis Aëdon,
Flebilibus resonet vox tua rauca sonis.
Vos quoq; fluminei lugubria clangite Cygni,
Nil nisi triste melos guttura vestra sonent.
Oxonium lachrymas ne desine fundere salsas,
Testentur luctus mænia celsa suos.
Et tu cui Christi dat nomen Corpus Iesu,
Fleto domus, linguis nobilitata tribus.
Namq; tuus fatis concessit doctus alumnus,
Flos, honor, aura, decus, deliciumq; tuum.
Ponito nunc lætos generosa Britannia vultus,
Obscurent frontem nubila multa tuam.
Ingenuas quotquot colitis pia turba Camænas
Plangite, sit vestro multus in ore dolor.
Occubuit sæua prostratus morte Iuellus,
Doctorum columen, gloria, fama, decus.
At quid luctifico iuuat indulsisse dolori?
Fletiferis prodest quid doluisse modis?
Lubrica num nostris retrahuntur fata querelis?
Flectuntur precipibus lanificæ ne Deæ?

Fata queunt minimè mutari, at fixa manebunt,
Nectere nec Parcis ſtamina rupta licet.
Hîc Parcas nequeo non obiurgare malignas,
Stamina quòd tanti diſſecuêre viri.
O triſtes Parcæ, immites, nimiumq́ feroces,
Cur auidas iuuit vos habuiſſe manus?
Perditis infantes, pueros, iuueneſq; animoſos,
Perditis Herōas, perditis innocuos.
Perditis & doctos, per quos Res publica floret,
Ingenio claros perditis, atque bonos.
Tales cur rapitis? tumidos ſupereſſe Tyrannos
Cur ſinitis, dignos morte perire truci?
Sæuiat in tales hæc veſtra potentia peſtes,
Taliaq; ad ſtygios mittite monſtra lacus.
Ætatis deuexæ homines bene fortè licebit
Perdere, quos tantùm tarda ſenecta premit.
Hoſce ſenes, inquam, ſi perditis, atq; Tyrannos,
Nemo vos ſæuas dixerit eſſe Deas.
Séd rapuiſſe bonos qui non videre ſenectam,
Quis ferat? O dirum, peſtiferumq; ſcelus.
Annos attigeras vix quinquaginta Iuelle,
Splendida Brittanni fama Iuelle ſoli:
Stamina fatales tua cum rupere ſorores,
Et tantum nobis ſurripuere decus.
O Parcæ tali non dignæ nomine, veſtræ,
Parcere namq; truces haud didicere manus.
Nulla viri virtus potuit cohibere cruentas
Dextras? non pietas? Relligio, grauitas?
Quid non hic habuit, quod mites atque benignas
Reddere vos poſſet? ſi modò quid potuit.
Quàm virtutis amans, niuens quam pectore candor?
Quanta in eo probitas, ſimplicitaſq; fuit?

Palladias

Palladias si quisq; alius, pernouit is artes,
Floruit ingenio, floruit eloquio.
Linguæ delicium meritò fuit ille Latinæ,
Tersus ei sermo, tersus eratq; stylus.
Huic nihil ignotum, quod haberet lingua Pelasga,
Et Demosthenicos calluit ille sonos.
Scripturæ rimatus erat penetralia sacræ,
Eximia illius quod monumenta probant.
Hæc monumenta probat minimè sed turba Tapizans,
Inuita hac turba, cætera turba probat.
Cum fuerit tantis instructus dotibus, illum
Haud puduit Parcas abripuisse tamen.
Dij perdant parcas sæuissimas numina semper,
Quòd rupêre pij stamina clara viri.
Occubuit sæua prostratus morte Iuellus,
Doctorum columen, gloria, fama, decus.
Verùm quo rapior? tandem modus esto querelis,
Sêdentur lachrymæ, tabificúsq; dolor.
Ergo Iuelle vale, patriæ quondam decus ingens,
Dum licuit misero viuere in exilio.
Nunc postquàm exuuias posuisti corporis huius,
Cœlestes habites docte Iuelle plagas.
In te iuris habent nigri nil regna Tyranni,
Regna parata malis, regna negata bonis.
Tristia quæq; fero, placatus sumito dona:
Hei mihi quòd potui non meliora dare.

Epitaphion eiusdem tam breue, quam fuit Epicedion longum.

QVem populus, Proceres, docti, Charites coluere:
Parcarum inuidia dormit is hoc tumulo.

Ad libellum ſuum.

MIſer libelle quorſùm abis,
Hoc ſeculo ingratiſſimo?
Hominum petis doctas manus?
Ah, vapulabis duriter.
Vngues, obelos ſenties,
Et confodieris enſibus.
An artium rudes petis?
Ridebere ab his, vt dignus es.
Adis furentes zoilos?
Manibus, & ore, & dentibus,
Per fruſta te diſcerpſerint.
Quarè domi te contine,
Domino latéq; cum tuo,
Ne pœnitudo te coquat.
Sed me renitente auolas?
Nec verba curas ſeria?
Te ſiſtere ſi minimè queo,
Si non monitis pares meis,
Abi, Sed audin? Tu prius
Wilſonum amicorum decus,
Muſis tribuſq; Gratijs
Charum, ſacroq; Apollini
Adito, & illum conſule,
Fac quicquid ille iuſſerit.
Si te velit vulgarier,
Nulloſq; pertimeſcere,
Abito fauſto ſydere.
At ille aliter ſi ſenſerit,
Ad me reuertitor cito,
Vt eſca fias muribus,
Blattis, tineisq; edacibus.

Ad Musas, quibus vale dicit.

O Vos dulciſonæ valete Muſæ,
O vos deliciæ meæ valete,
Olim deliciæ nimis ſuaues.
Nunc ad delicias ſuauiores,
Nunc ad delicias ſeueriores,
Summi me vocitat parens Olympi.
Nempe ad mellifluos, ſacroſq́ riuos
Scripturæ, ſterilem rigare mentem
Quæ poſſunt, animæ mederi & ægræ.
O vos dulciſonæ valete Muſæ.

Ad Lectorem.

SI tibi prolixus nimium liber iſte videtur,
Pauca legas, poterit ſic liber eſſe breuis.

Ad eundem Lectorem.

TEcum nugatus ſum (credo) ſatiſq́ ſuperq́:
Ergo ſit hic finis, Lector amice vale.

FINIS.

Dij Parkhurſti canis fidiſſimi, Epitaph. Dius loquitur. 1556.

PEr mare, per terras, per mille pericula rerum
Exul ab Arctoa gente ſequutus herum,
Helueticas ſubij terras, vbi parta quietis
Viſa fuit ſedes, & bene viſa fuit.
Nanq; ibi me ſenium, ſcabieſq; inuiſa moleſtans
Fecit vt externa contumularer humo.
Anglia chara vale, quondam terra Anglia felix,
Anglia nunc nulli terra petenda bono.
Dum tua ſceptra gerit nimium crudelis Alecto,
Quæ gladio & flammis, in pia corda furit.
Felix cui licuit Tigurina occumbere in vrbe,
Hîc vbi Chriſticolas nulla pericla manent.

R. G.

PSALM. 25.

Peccatorum adoleſcentiæ meæ, ac ſcelerum meorum ne ſis memor Domine.

I. SAM. 2.

Hoſtes Domini conterentur.

ESA. 30.

Væ filijs defectoribus, dicit Dominus.